ARBORIS ANICIANAE

Radix & Antiquitas

LIBER SECVNDVS:

IN QVO ANICIANÆ PROSAPIÆ, EX QVA AVGVSTISSIMA AVSTRIA DOMVS ORIVNDA EST PLANE ſingularibus & omninò admirabilibus laudibus prærogatiuis & ornamentis compendio deſcriptis, eiusdem Radix & Antiquitas peruestigatur;

AVCTORE

F. IOANNE SEIFRIDO SILESIO WRATISLAVIENSI SACRI CISTERTIENSIS Ordinis in Monaſterio Claræuallis Auſtriæ, vulgò Zvvethal, Abbate.

Cum Gratia & Priuilegio Sacræ Cæſ. Majeſtatis.

VIENNÆ AVSTRIÆ,

In ædibus Zvvethalenſibus, ſumptibus Auctoris,

Typis Ioannis Fidleri.

ANNO

M. D. CXIII.

PHILIPPO III.
REGI HISPANIARVM ET INDIARVM POTENTISSIMO. ANICIANÆ ET AVSTRIACÆ DOMVS NOBILISSIMO GENEROSISSIMOQVE GERMINI

F. Ioannes Seifridus Silesius Wratislauiensis Sacri Cistertiensis Ordinis in Monasterio Claræuallis Austriæ Abbas

S. F. P.

POst Augustum Sacri Romani Imperij Diadema, bicipitemq́ue Aquilam, sub cuius alarũ vmbram ac patrocinium primum mearum lucubrationum librum confouendum protegendumq́; deposui: jure meritóque ad fulvum auro Leonem, potentissimáque Hispaniæ sceptra cum secũdogenito ingenij mei

fœtu confugio: non ſolùm quia ipſum fore reor ſub tali tantáque protectione ab omni importuno inuidentium catulorum allatratu ac incurſu immunem & ſecurum; ſed etiam quia ea ſunt, Philippe Rex Inuictiſſime, tua tuorúmque progenitorum in Eccleſiam CHRISTI merita, ea in Orbe Chriſtiano majeſtas, ea potentia, ea demùm in antiquiſſima & nobiliſſima Aniciana & Auguſtiſſima Auſtria Domo dignitas & prærogatiua, vt Regiæ Majeſtati veſtræ nullus ex Principibus Chriſtianis jure à me debeat anteponi, nullus niſi ſolum Auguſtum & Imperatorium orbis & vrbis caput poſſit anteferri. Accedit porrò, quòd præter rationes & momenta, quæ ſacrum Ciſtertienſem Ordinem vniuerſæ Sereniſſimæ Auſtriæ Domui deuinctiſſimum faciunt, & quæ à me ſuperiori libro ſunt commemorata: non pauca etiam reperiantur, eáq; eximia ac ſingularia, quæ Reg. Majeſtati Veſtræ præ cæteris eandem

ſacram

ſacram familiam, méq; eius alumnum arctiori quodam gratitudinis ac neceſſitudinis vinculo obſtringunt. Quot enim in Hiſpaniæ regnis extant Ciſtertienſis inſtituti Monaſteria; quæ certè & numero ſunt plurima, & ędificiorum mole magnificentiſſima, & annuorum prouētuum dotatione opulentiſſima: tot ſuperſunt expreſſa ſingularis erga religioſam vitæ noſtrę rationem amoris & beneuolentię ſigna, & immortalia regiæ beneficentię monumenta: quæ etſi priſcorũ Hiſpanię Regum ſint opera & luculentiſſima auitę pietatis argumenta; tibi tamen, Philippe Rex potentiſsime, tanquam legitimo eorundem Regum hæredi ac ſucceſſori ea omnia ipſorum beneficia in nos collata jure in acceptis ſunt referēda, quæ in omni poſteritate merentur perpetua gratitudine compenſari. Ego quidem, vt ingenuè fatear, tenerrimè afficior erga omnem Hiſpanienſem Ordinis noſtri congregationem, eo potiſsimùm nomine

quòd primo, ſecundùm DEVM glorietur auctore B. Niuardo fratre germano, & minore natu D. Patris noſtri Bernardi; cuius illa adhuc pueri ſed non puerilis vox fuit, qua fratribus ad Eremum Ciſtertienſem properantibus, & ad ſe vnum omnia paterna bona deuoluenda aſſerentibus præclariſſimè reſpondit: VOBIS ERGO COELVM, ET MIHI TERRA? NON EX ÆQVO DIVISIO HÆC FACTA EST: qui modico poſt tempore euoluto, nullis parentis & amicorum repagulis contineri potuit, quin fratrum cæterorum ſequeretur exemplum & ad idem crucis vexillum DEO militaturus euolaret, vbi deinde in ſacro ſpiritualis vitæ tyrocinio adeò vitę ſanctimonia & virtute profecit, vt non immeritò à D. Bernardo dignus ſit judicatus, qui ſacrarum Ordinis noſtri coloniarum in Hiſpanias deducēdarum princeps eſſet & auctor. Quantum verò hęc Ciſtertienſis vinea à Niuardo in Hiſpanias transplantata,

Gulielmus Abbas S. Theodorici in vita S. Bernardi, lib. 1.

atque

atque mox liberalitate & munificentia Regum fota & quaſi compluta, breui tempore creuerit in vineam magnam palmitésq; ſuos extenderit uſq; ad mare & vſq; ad flumina Luſitaniæ propagines ſuas, longũ hìc eſſet recenſere. Illud duntaxat commemorabo, Ordinem Ciſtertienſem in nulla Orbis Chriſtiani parte adeò floruiſſe, atq; in Hiſpanię, Arragonię, Luſitanię regnis. Nam eſto affulſerit hæc ſacra familia Toloſanæ prouincię Albingenſium hęreticorum tenebris obſcuratæ QVASI AVRORA CONSVRGENS; fuerit inter tot lucentia diuerſorum Ordinũ Gallicanæ & Germanicæ Eccleſiæ ſydera PVLCHRA VT LVNA; fuerit in Italia ad tuendam ſedem Apoſtolicam, Romanorúmque Pontificum auctoritatem conſeruandã ELECTA VT SOL: in nullo tamen, quàm in Hiſpaniæ regnis fuit TERRIBILIS VT CASTRORVM ACIES ORDINATA. Nam in aliis quidem Orbis Chriſtiani partibus Ciſtertienſes contra ſpiritualia ne-

qui-

quitiæ viriliter dimicare ex instituto consueuerunt spiritualibus armis, oratione, jejunio, corporis maceratione, & his similibus : sola verò Hispania præ cæteris hac se laude jactare potest, quòd pepererit & continuè enutriat ac foueat in suo gremio instituti Cistertiensis homines, qui vt strenui cooperatores spiritalis fabricæ, aliis una manu dextra scilicet, infatigabiliter laborantibus & opus DOMINI facientibus, ipsi, vt apud Esdram dicitur, altera teneant gladium. Iam opinor mente præcipis Philippe Rex potentissime, quos velim dicere: fortissimos nimirùm sacræ militiæ Equites, Auisios, Calatrauenses, Alcantarenses, Montesios & Militię IESV CHRISTI, qui militares Ordines sub instituto Cistertiensium militantes ferè omnes & militiæ suæ Reges auctores, & filios Regum commilitones habuêre. Te verò, qui exemplo patris, aui, & proaui tui Ferdinandi Regis supremum in hac sacra militia magiste-

2. Esdr. 4.

Militares Ordines sub instituto Cistertiensium.

rium

rium obtines, tanqnam Ducem & antesignanum suum meritissimò suspiciunt, colunt, consectantur.

Ex quo consequitur vniuersum S. Cistertiensem Ordinem Regiæ Majestati vestræ conjunctissimum & deuotissimum esse debere, non solùm quia maiores vestri prisci Hispanię & Lusitanię Reges hac sacrorum militum institutione sub Cistertiensium legibus & instituto, ipsum singulariter & mirificè illustrarunt, latissiméque propagarunt: sed etiam quia Regia Majestas vestra, eò quòd inter memoratos Equites qui sacrosancta faciunt stipendia, summo fungatur magisterio, verissimum eiusdem Ordinis membrum esse comprobetur.

Quare ego qui non meis meritis, sed sola DEI miseratione, Virginisque Matris beneficio in eandem Cistertiensem familiam jam olim sum cooptatus, & nunc in præfectura Monasterij Claræuallis Austriæ constitutus; jure qui-

dem & non abs re me factūrum arbitratus ſum, ſi Regiæ Majeſtati veſtræ tanquam nobiliſſimo Ciſtertienſis Ordinis membro & patrono omnia præſtantiſſimo, vniuerſi eiuſdem Ordinis nomine obſeruantiſſimi, ac deuinctiſſimi animi promptitudinem ad omne obſequiorum genus his lucubrationibus meis quaſi arrhæ ac pignoris loco traditis ſubmiſsè offerrem; & tanquam generoſiſſimo ac magnificētiſſimo Auguſtiſsimæ Auſtriæ Domûs germini hunc alterum Anicianæ arboris librum conſecrarem.

Erit igitur hic labor ac conatus meus, vt confido, ſicut Sacro Ciſtertienſi Ordini non ingratus, quia pro ipſo ſuſceptus: ita Regiæ Majeſtati veſtræ non injucundus, quia pro Auſtriacæ Domûs gloria eſt elaboratus.

ARBORIS ANICIANÆ RADIX ET ANTIQVITAS

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

De Familiæ Aniciæ Probæ Olybriæ Perleoniæ Frangipaniæ splendore & prærogatiuis.

EXplicata jam ac stabilita superiori libro nostra de Augustissimæ Austriæ Domûs originê sententiâ: recto ordine ad contexendam ipsam Genealogiæ seriem nobis progrediendum erat. Verùm quoniam ignoratio claritudinis & prærogatiuarum familiæ Perleoniæ, eiúsque maiorum tantum pondus & momentum obtinuit apud Stabium & Lazium, eorúmque sequaces: vt ob id indignum ac contumeliosum integerrimæ Austriæ Domui fore judicarint, si ab illa generis eius originem & antiquitatem arcesserent: operæ precium esse duxi primùm explicare, qualis & quanta fuerit familia Ani-

cia, Proba, Olybria, Perleonia Frangipania: à qua Habsburgiam Austriam gentem oriundam esse fusè superiori libro explicauimus, plurimisque probatissimorum auctorum testimonijs confirmauimus. Verùm enim verò cùm huius familiæ tanta sit dignitas, tanta majestas, tanta amplitudo, quæ vix multis libris adumbrari, nedum enarrari & explicari queat: vt certo ordine ac clarè & distinctè progrediamur, Lectorísque studiosi auiditati consulamus: propositum est nobis singulis posterioribus libris, singulas eiusdem familiæ laudes & ornamenta oratione accuratiùs complecti: hîc verò eas generatìm duntaxat quasi primoribus labris prægustare & extremis, vt aiunt, digitis attingere.

Cæterùm nemo à me in explicando eximio præclarissimæ familiæ splendore ac planè singularibus prærogatiuis summum eloquentiæ ornatum aut conquisitum quoddam dictionis genus requirat. Nullius enim, ut Tullij verbis rectiùs vtar, tantum est flumen ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta vis tantáque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare tantæ stirpis majestatem amplitudinémque possit: Quare conscius ego tenuitatis meæ, eam duntaxat scribendi normam mihi statuo, vt in enumerandis amplissimæ familiæ laudibus non tàm eius dignitatis, quàm veritatis maximam rationem habuisse videar. Parùm enim veritati interest, eleganterne, an inornatè proferatur: similes namque sunt vt alicubi ait Augustinus, simplicitas dicendi & eloquentia vasis rusticanis & vrbanis; falsitas verò & veritas ferculis vilibus & preciosis: Utraque autem fercula vtrisque vasis ministrari possunt. Itaque quemadmodum is qui integram ad prandendum famem affert jucundissimè vescitur etiam ijs epulis quæ in fictilibus vasis apponuntur; ita qui desiderio veritatis tenentur, non curant quàm ornatè, sed quàm verè ipsa proponatur.

S. Augustinus.

Attendite igitur vniuersi non quanta verborum elegantia, sed à quanta & quali stirpe Principes Austrios profectos esse dicamus: & videte an vlla alia familia reperiatur,

quæ

quæ ſit non dico huic præferenda, ſed vel cum ea conferenda? Quid enim habent vel habuêre cæteræ cognationes qualeſcunque tandem illæ ſint ſingularis & præcipui, quod in Anicia florentiſſima familia deſiderari poſſit, aut quod non longè perfectius nobiliúſve in ea inueniatur.

Præclariſſimum eſt teſtimonium Theothahadi Gothorum Regis apud Caſſiodorum de Domo Anicia ad Maximum Anicium & Senatum Vrbis Romæ: Anicios quidem *(inquit)* pœnè principibus pares ætas priſca progenuit, quorum nominis dignitas ad te ſanguinis fonte perducta, collectis viribus hilarior inſtaurata rutilauit. Quis ergo relinqueret in poſteris minùs honoris, quos tamdiu conſtat fuiſſe præcipuos? Accuſarentur ſæcula, ſi talis potuiſſet latere familia. *Et in ea quæ eſt ad Senatum:* Neque enim *(inquit)* fas eſt humile dici quod gerit Anicius familia toto Orbe prædicata, quæ verè dicitur nobilis, quando ab ea actionis probitas non recedit.

Præconium Theothahadi Regis de familia Anicia.

Caſſiodorus, lib. 10 Variarum Epiſtola 11. & 12.

Ex hac igitur familia tam celebri tam inſigni DEVS *bone, quot quantíque Viri prodière, qui non ſolùm rebus domi militiæque præclarè geſtis floruerunt, ſed etiam Romanæ Reipublicæ gubernacula, dum eius adhuc ſumma poteſtas penès Conſules erat, maxima cum laude tractauerunt. Vnde Diuus Hieronymus in huius familiæ mentionem prolapſus ait:* Scilicet nunc mihi Proborũ & Olybriorum clara repetenda ſunt nomina & illuſtre Anicij ſanguinis decus; in quo aut nullus aut rarus fuit, qui non meruit Conſulatum: *Ad quam ſingularem familiæ Anicianæ prærogatiuam alludit Diuus Auguſtinus ſcribens ad Probam & Iulianam clariſſimas ex Aniciorum ſtirpe fœminas, dum ait:* Quis verbis explicet? quis digno præconio proſequatur, quantum incomparabiliter glorioſius ac fructuoſius habeat ex veſtro ſanguine fœminas virgines CHRISTVS, quàm viros Conſules mundus? Nam volumina temporum ſi magnum atq; præclarum eſt nominis dignitate ſignare, quantò eſt maius atque præclarius cordis corporíſque integritate tranſcendere?

Nullus aut rarus fuit in familia Aniciana qui non meruerit Conſulatum.

D. Hieronymus ad Demetriadem, Epiſtola 8.

S. Auguſtinus Epiſtola 179.

Cùm igitur hanc in familia Aniciana prærogatiuam agnouerint, faſſique ſint SS. Patres, a quibus proculdubio alieniſſimum fuit vanis aſſentatiunculis aliorum gratiam aucupari: non aſſentatoriè (quod aliàs Poëtis ſolenne eſt) ſed verè ceciniſſe cenſendus eſt Claudianus Ethnicus Poëta in illo ſuo

Non ſolùm SS. Patres, ſed etiã Ethnici Scriptores idem de Anicijs affirmarunt.

Panegyrico carmine ad Olybrium & Probinum Anicios fratres, dum de eâdem familiâ loquens ait:

Claudianus in Panegyrico ad Olybrium & Probinum fratres.

His neque per dubium pendet fortuna pauorem
Nec nouit mutare vices; sed fixus in omnes
Cognatos procedit honos: quemcunque requires
Hac de ſtirpe virum, certum eſt de Conſule naſci:
Per faſces numerantur aui, ſemperque renatâ
Nobilitate virent & prolem fata ſequuntur,
Continuum ſimili ſeruantia lege tenorem.

In quam etiam ſententiam infrà in eodem Poëmate ipſam Romam introducit prædictis duobus fratribus Aniciis ab Honorio Imperatore conſulatum petentem, hiſce verbis:

Illis quam propriam ducunt ab origine ſortem
Oramus præbere velis, anniqùe futurum
Deuoueas venientis iter: non improba poſco,
Non inſueta dabis. Domus hæc de more requirit.

Quare Anicij Auchenij dicti ſint.

Illud autem non prætereat ab eodem Claudiano Anicijs Auchenij nomen impoſitum, quod, vt Egnatius eſt auctor, clavum nauis ſignificat; vt nimirùm inſinuaret huius familiæ proprium ac peculiare fuiſſe, clavum Reipubl. tenere.

Plurimi Imperatores ex Aniciana proſapia.

Cæterùm non tantùm Conſulari dignitate ornatiſſimos viros produxit hæc familia, ſed etiam iterum ac iterum fortunâ quadam fatali ad ſupremum Imperij faſtigium euecta partim in Occidente, partim in Oriente plurimorum annorum curriculo Imperiales rexit habenas, atque nunc etiam Occidentale Imperium ſingulari auitæ hæreditatis prærogatiuâ per manus potentium Cæſarum traditâ in ſuis poſteris continuatis multorum annorum ſpaciis feliciſſimè moderatur.

Tribus diſtinctis vicibus Imperatores è familia Anicia creati magno Eccleſiæ bono.

Anicius Cõſtantinus.

Anicius Iuſtinus.

Porrò quod maximâ ſanè admiratione dignum eſt, triplici temporis interuallo diuinis planè auſpicijs, ad hanc familiam delata ſunt auguſta Imperij inſignia maximo Reipublicæ Chriſtianæ bono: Cùm primùm Anicius Conſtantinus Maximus poſt teterrimam idololatriæ caliginem diuturnámque perſecutionis rabiem Eccleſiæ Chriſti tanquam ſol quidam novus affulſit, Chriſtianæ fidei & doctrinæ radijs Vrbem & Orbem illuſtrans: deinde cùm ex eâdem quaſi pharetrâ eductus Anicius Iuſtinus Senior diuinitùs ad Imperium aſſumptus eſt, qui Eccleſiam Dei denſiſſimis hæreſum tenebris obuolutam, & hæ-

retico-

reticorum Impp. Zenonis & Anastasij machinis propè conuulsam, maximè in Orientis partibus, rursùs ad pristinam lucem reuocauit, in integrum restituit, pacémque eiusdem ac libertatem diu exulem quasi postliminio reduxit: denique cùm post longam Imperij vacationem, turbulentissimósque Germaniæ motus ex eâdem Aniciâ stirpe oriundus præter omnium spem & expectationem ex Comite in Imperatorem electus est Rudolphus Primus Habsburgius, qui non solùm Imperium multis modis labefactatum in antiquum suum statum & splendorem auctoritate & consilio restituit, sed etiam armis & ferro Austriam & Stiriam ex sæuissima Ottocari Bohemi tyrannide in pristinam libertatem vendicauit.

Rudolphus I. Habsburgius.

Jam verò quantus se campus aperiret, in quo exultare possit oratio, si & eos hîc recensere vellem, qui eandem prosapiam eximiâ morum integritate & sanctimonia vitæ, insigniq; martyrij laureâ ac gloria confessionis nimium quantum illustrarunt? inter quos veluti maius quoddam sydus eminet Diuus Pater noster Benedictus, qui spectatissimo vitæ suæ exemplo temperatissimáque morum disciplina, innumerabiles hominum mentes à curis rerum labentium auocatas ad cœlestes & nunquam interituras diuitias & delicias contemplandas, & consectandas conuertit. Nullus profectò jam in cœlis Beatorum ciuium ordo est, in quo non aliquot saltem præstantes Anicianæ familiæ alumni reperiantur? Nam quid Consularem illum Virum omni scientiâ præditum Anicium Boethium commemorem? quid Benedictini agminis Prothomartyrem egregium Placidum Abbatem cum fratribus & sorore aliísque non paucis in Martyrum choro præcellentem? Quid in Doctorum ac Confessorum cœtu gloriosius illis Ecclesiæ luminibus Sancto Gregorio Magno, Divo Paulino Nolano, B. Thoma Aquinate? Quid inter candida Virginum agmina & Agni sponsas illustrius illa, à S S. Patribus adeò celebrata ac decantata Demetriade? Quid de matre eius Juliana, quid de auia eiusdem Proba dicam? cuius, *ut verbis D. Hieronymi vtar*

Plurimi viri & fœminæ ex Anicia familia Sanctitate prestantes fuêre.

D. Benedictus.

S. Boethius aliàs Seuerinus.
S. Placidus.

S. Gregorius
S. Paulinus.
S. Thomas.
S. Demetrias
S. Juliana.
S. Proba.

omnium,

omnium dignitatem & cunctæ nobilitatis in Orbe Romano nomen illustrius; cuius *vt idem attestatur*, Sanctitas & in vniuersos effusa bonitas etiam apud Barbaros venerabilis fuit. *Verùm fusè & singillatim de his omnibus ex instituto agemus libro quinto.*

Illud tantùm hîc commemorabo, quòd homines huius mundi illecebris irretiti maximè admirari consueuerunt: tanimirùm rerum & opum affluentiâ Anicios cæteris præstitisse, vt etiam locum prouerbio dederint, sicut ex Cassiodoro Cardinalis refert Baronius. Erant iam, *inquit*, in prouerbio opes, ædificiorum moles, & splendor ædium familiæ Anicianæ. Hinc Secundinus ad Augustinum: Ego namque fateor non tali diligentia, nec tanta industria Anicianæ Domûs micare marmora, quanta tua scripta prælucent eloquentia.

Et quidem Sextum Anicium Petronium Probum, qui vnà cum Gratiano Augusto gessit Consulatum anno trecentesimo septuagesimo primo, tantæ fuisse opulentiæ, tantæ magnificentiæ constat, vt ad eius amplitudinem spectandam è Perside Sapientes Romam venisse Paulinus testetur. Perstrinxit autem hæc familiæ nobilissimæ Christianissimæq; opulentia vehementer aliorum Ethnicorum non solùm oculos, sed etiam animos. Vnde Ammianus Marcellinus de eodem Probo hæc carptim: Post hæc tempora *(inquit)* Vulcatio Ruffino absoluto vitam dum administrat, ad regendam præfecturam prætorianam ab vrbe Probus accitus, claritudine generis & potentia & opum amplitudine cognitus orbi Romano, per quem vniuersum pœnè patrimonia sparsa possedit; iustè an secùs, non iudicioli est nostri. *Eodem inuidiæ morbo laborauit Zosimus, qui fauens Attalo tyranno, hisce Anicios perstringit:* Solam, *ait*, illorum familiam, qui Anicij dicuntur mordebant ea quæ publicè vniuersis conducere videbantur, quòd soli omnium propè dixerim, diuitias possidentes, felicitatem publicam permolestè ferrent.

Sed accipe, quæ de eiusdem Probi opum amplitudine & munificentiâ Claudianus sine liuore cecinit his versibus:

Hic non diuitias nigrantibus abdidit antris
Nec tenebris damnauit opes, sed largior imbre
Sueuerat innumeras hominum ditare cateruas.
Quippe velut denso currentia munera nimbo
Cernere semper erat populis vndare penates.
Assiduos intrare inopes, remeare beatos,
Præceps illa manus fluuios superabat Iberos
Aurea dona vomens.

Epistola 8.

Potentia & diuitiæ familiæ Anicianæ.

Baronius in Martyrologio Romano vltima Maij.

Apud August. Tom. 6.

Sext. Anicij Petronij Probi ingentes opes.

E Perside Sapientes Romam venêre ad spectandã eiusdem amplitudinem.

Paulin. in vita S. Ambrosij.

Ethnici inuident hanc opum affluentiam Anicijs.

Ammianus Marcellinus lib. 27.

Zosimus lib. 6.

Claudianus in Panegyrico citato.

Aniciæ Iulianæ opulentia. *Gregorius Turonensis de gloria Martyrum cap 133.*

Hæc de Probo Claudianus. Perseuerauit hæc opum affluentia in eiusdem posteris: vnde, vt memoriæ proditum est à Gregorio Turonensi, Iuliana Anicia Probi proneptis, Valentiniani III. Augusti neptis, Olybrij Imperatoris filia tantas opes tantámque vim auri possedit, vt Constantinopoli Sacellum Polyeucti martyris totum texerit vestierítque laminis ex auro purissimo fabrefactis. Eadem etiam, vt idem auctor affirmat, Imperatori Iustiniano propinquo suo annulum aureum dono dedit precij pænè inæstimabilis, propter inclusum in eo lapidem Neronianum, qui tantæ viriditatis ac splendoris fuit, vt ostenso eo omnia à pulchritudine eius visa sint in viriditatem conuerti. Sunt quidem hæc in hac familia nobilissima valdè præclara & illustria, sed eiusmodi, vt si non omnia simul, eorum tamen multa Aniciæ genti cúm non paucis alijs familijs communia esse videantur. At verò in Anicianæ gentis encomio, quid, quale, & quantum est illud, quòd non solùm Anicius Constantinus Maximus primus inter Augustos Christianitate resplenduit; sed etiam eandem primus Consulum Romanorum M'. Anicius Acilius Glabrio nouum planè ac præcipuum omnium decus in Anicianam domum intulerit, sanguinísque sui ac vitæ profusione vnà cum filio consecrârit? At quidem Constantinum principem locum inter Christianos Imperatores obtinuisse, vt cæteros omittam, testatur cumprimis Galla Placidia Augusta in litteris, quas scripsit pro S. Leone ad Theodosium iuniorem, in quibus hæc circà medium leguntur:

Maxima prærogatiua Domus Anicianæ.

Anicius Cōstantinus Maximus primus Imperatorum Christianus. *Extant ante Cōcil. Chalcedonense Tom. 1. Concil.*

Non modicum detrimentum est ex his, quæ gesta sunt, vt fides quæ tantis temporibus regulariter custodita est à Sacratissimo Patre nostro Constantino, qui primus Imperator resplenduit Christianus, perturbata sit ad arbitrium vnius hominis, &c.

Et licet ante Constantinum Philippus fidem amplexus sit Christianam: tamen vt Sext. Aurelius ait: Hic Constantinus primus imperatorum Christianus creatus est, excepto Philippo, qui Christianus annis admodùm paucissimis ad hoc tantùm constitutus fuisse videtur, vt millesimus Vrbis Romæ annus CHRISTO potiùs quàm Idolis dicaretur. *M'. etiam Anicium Acilium Glabrionem qui anno* CHRISTI *nonagesimo tertio cum Vlpio*

Tit. 41.

M'. Anicius Acilius Glabrio primus

Consulum Romanorum Christianus & Martyr.

Prudentius adversus Symmachum lib. 1.

Bis germani fratres Anicij simul Consules creati in juventute.

** Cicero in Ant. 8.*

Traiano gessit Consulatum; primum ex Consulibus Romanis ad CHRISTI militiam nomen dedisse, insinuauit Prudentius illis versiculis:

Fertur enim ante alios generosus Anicius Vrbis
Illustrasse caput, sic se Roma inclyta jactat.

*Denique ne longior sim, illud etiam in hac familia est valdè præclarum & singulare, quòd in ea consularis dignitas & potestas, *cui teste Cicerone, legibus annalibus annus tertius & quadragesimus constitutus erat, exemplo rarissimo ac propè solitario ante legitimam ad huiusmodi summum honorem capessendum ætatem, in primo adolescentiæ flore, altera vice germanis fratribus, simul vno ac eodem anno & die sit delata. Et primum quidem par fratrum, quibus talis fieri contigit honos, filij fuère suprà memorati Probi, de quibus Claudianus Panegyricum canens hæc post enumeratas Probi eorundem parentis laudes, subnectit:*

Claudianus loco suprà citato.

Sed nati vicère patrem, solíque merentur
Victores audire Probi: non contigit illi
Talis honos prima cùm parte viresceret æui,
Non Consul cum fratre fuit. Vos nulla fatigat
Cura diu majora petens, non anxia mentem
Spes agit, & longo tendit præcordia voto:
Cœpistis quò finis erat: primordia vestra
Vix pauci meruère senes: metasque tenetis
Ante genas dulces quàm flos juuenilis inumbret,
Oraque ridenti lanugine vestiat ætas.

In fine verò Panegyricum sic concludit:

O bene signatum fraterno nomine tempus,
O consanguineis felix auctoribus annus.
Omni nobilior lustro tibi gloria soli
Contigit, exactum nunquam memorata per ævum
Germanos habuisse duces.

Anicius Hermogenian⁹. Olybrius. Anicius Probinus. Anici⁹ Symmachus. Anicius Boethius.

Dicti sunt hi Germani fratres Anicius Hermogenianus Olybrius & Anicius Probinus, gesseruntque simul consulatum anno CHRISTI trecentesimo nonagesimo quinto. Alterum par fratrum fuit Anicius Symmachus & Anicius Boethius filij Anicij Manlij Torquati Seuerini Boethij, qui simul Consules creati sunt, nondum pueritiæ fines egressi an-

no quingentesimo trigesimo secundo. Scio quidem complures aliter opinatos esse, huiusque anni Consulatum ipsi seniori Boethio eiusq́ socero Symmacho assignasse: sed cui pòtius hac in re credendum est, quàm ipsi Boethio, qui in aureis illis de consolatione Philosophiæ libellis Philosophiam se consolantem introducit his verbis: Si quis rerum mortalium fructus vllum beatitudinis pondus habet, poteritne illius memoria lucis quantalibet ingruentium malorum mole deleri, cùm duos pariter consules liberos tuos domo prouehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidisti, cum eisdem in curia curules insidentibus. Tu regiæ laudis orator ingenij gloriam facundiæque meruisti, cùm in Circo duorum medius Consulum circumfusæ multitudinis expectationem triumphali largitione satiasti. Dedisti vt opinor verba fortunæ, dum te illa demulcet, dum te vt delicias suas fouet? Munus quod nulli vnquam priuato commodauerat abstulisti. *Et paulo infrà eosdem liberos suos consulares vocat, non quidem, quòd pàtre Consule nati essent vt Card. opinatur Baronius; sed quia verè Consulatum gessissent. Huiusmodi autem rarissima dignitatis ac honoris insignia adolescentes fratres non ambitione aut largitione, sed quod Anicianæ familiæ majori laudi tribuendum est, meritis parentum suorum consecutos esse, de prioribus quidem Claudianus, de posteribus verò ipsemet Boethius est testis. Atque hæc de laudibus & prærogatiuis stirpis Anicianæ hìc generatìm præfari mihi visum est.*

Annal. Eccles. Tom. 7.

Claud. in Pan. suprà est. Boeth de Consol. Philosophiæ.

CAPVT II.

Quomodo Habsburgij Austrij Aniciorum posteri, hanc à majoribus suis acceptam gloriam non solùm conseruarint, sed etiam auxerint.

HAnc igitur generis claritudinem & auita familiæ ornamenta à majoribus accepta, vt Habsburgij Austrij Aniciorum posteri non solùm conseruarint, sed etiam auxerint atque ad summam amplitudinem perduxerint, nunc dicendum venit. Magnum opus omninò & arduum conari amplissimas Augustissimæ Austriæ Domûs laudes omniáque tanti generis insignia atque ornamenta exiguo stylo circumscribere: quippe quæ res jam præstantissima defatigârit ingenia, quæque nec pro merito ac dignitate sua satis grauiter, neque pro magnitudine ac pondere suo satis copiosè & ornatè à quoquam tractari potest. Quare cùm vires maximè meas tantæ moli atque oneri sufferendo omninò impares agnoscam, vt certum & ingenij & existimationis meæ periculum, quod mihi hac in re necessariò subeundum fuisset, deuitarem; placuit quid argutum excogitare & totum hoc negotium vicaria alterius opera conficere. Itaque ea tantùm hic afferam, quæ de serenissima Austria Domo Caspar Schoppius vir eruditus, (& vt hoc obiter dicam homo Baronianus, quippe qui ex sedula eiusdem annalium Ecclesiasticorum lectione, è densissimis hæreseos tenebris in Catholicæ veritatis lucem emersit) in Panegyrico Clementi VIII. Pontifici Maximo in Nu-

ptiis Philippi III. Hispaniarum & Indiarum Regis, atque Alberti Archiducis Austriæ dicto, compendio quodam complexus est: vt sic alieno potiùs quàm proprio ore loquens omnis periculi expers, nulliúsque assentationis affinis esse videar. Sic autem ad finem illius orationis Augustæ gentis Austriæ encomium orditur.

Primum (*inquit*) ea est familiæ Austriæ dignitas & majestas vt ab omnibus cæteris meritò coli & obseruari, à te etiam Beatissime Pater & Sede Apostolica ornari quotidiè & omnia paternæ charitatis ac beneuolentiæ signa experiri debeat. Non enim potentior, non illustrior hoc sæculo Domus in Orbe Christiano fulget, vt verè quòd de Iulia olim Horatius cecinit, meritissimo suo de hac dici debeat:

Dignitas & majestas Domus Austriacæ.

Horatius.

——————micat inter omnes
Austrium sydus, velut inter ignes
Luna minores.

Floret enim vt jam à pluribus annis, ita nunc temporis in summo honorum ac dignitatum culmine posita, refulgetque vt coronis sceptrisque Imperatoriis Augustis decem, octo Regiis: sic etiam imaginibus, atque indicibus Augustorum seu Imperatorum decem, Augustarum duabus; Regum octo, Reginarum sedecim referta est, Archiducum, aliorum Principum imagines, tiaras, circulos aureos & gemmatos hic longum esset recensere. Reuoluas annales veteres quosuis & Genealogias Principum Christianorum omnium examines licet; nunquam tamen tot in vna stirpe sublimia Imperia; tot Diademata; tot sceptra atque in hac vna reperies: quam multis ab hinc annis Cuspinianus scripsit ex vnica Habsburgensium familia quinquaginta septem masculos Principes vel Cæsares, vel Reges, vel Archiduces, Duces aut Comites produxisse, & in qua Romanum Imperium per sex Augustos vltrà hominum memoriam & sæculum integrum continuatum videmus. Quid reperiri poterit rarius, excellentius aut illustrius?

Cuspinianus in Austria sua.

Friuolum ac leue est exemplum, si hæc consideres, quod Plinius vt stupendum fœminæ fœlicitatis miraculum adducit: Vna, inquit, fœminarum in omni æuo Lampedo Lacedomonia refertur, quæ Regis filia, Regis vxor, Regis mater fuit. Plura profectò & majora decora inter Principes Austriadas reperies. Longè etenim Lacænam illam Lampedona excellit Elisabetha Poloniæ Regina, quæ Imperatoris Cæsaris ac Regis filia & neptis, Regis soror, Regis vxor, Regum quatuor mater & denique Regis auia fuit: nimirùm nata ex Alberto II. Imperatore Bohemiæ & Vngariæ Rege; fratrem Ladislaum Vngariæ & Bohemiæ Regem; maritum Casimirum Poloniæ Regem; & filios protulit Reges Vngariæ Bohemiæque Joannem Albertum, Vladislaum, Alexandrum, & Sigismundum: addatur & Fridericus V. filius, qui ad Cardinalatum Regiæ parem quippe dignitatem euectus est. Auia quidem fuit Ludouici Bohemiæ & Vngariæ Regis. Quid ista felicitate felicius, aut nobilitate nobilius? fulget tamen nunc etiam temporis vnica Phœnix clarissimæ atque omnium virtutum

Plinius.

Lampedo Lacedæmonia.

Elisabetha Poloniæ Regina.

Maria Caroli V. filia.

dotibus præstantissimæ Heroinæ Mariæ Majestas, quæ proavum Maximilianum I. Cæsarem & Philippum I. Regem Catholicum avum habuit; quæ Carolum Quintum Patrem, Ferdinandum patruum Imperatores Cæsares Augustos vidit & amitas Reginas quatuor. Ipsa Maximiliani Secundi Imperatotis Cæsaris Augusti vxor, Philippi Secundi Regis Catholici soror, Rudolphi Secundi Imperatoris Regis Vngariæ & Bohemiæ, & duarum Reginarum, vnius in Hispania, alterius in Gallia mater, & huius etiam ipsius Regis Catholici auia effecta.

Tanta nimirùm decora, tam rara fœcunditatis exempla in ea domo reperiri oportuit, quæ barbaram Ottomannicæ potentiæ rabiem à ceruicibus nostris depellere deberet.

Potentia Domus Austriacæ.

Potentia quoque eiusdem familiæ tanta est. vt quam Romani Imperij magnitudinem cum stupore quodam omnium sæculorum homines admirati fuerunt, si cum hac comparetur, ludus jocusque penè videri debeat. Habent enim Austriaci non Novum duntaxat Orbem seu Americam, quæ sola reliquas tres mundi partes Asiam, Africam & Europam magnitudine adæquat, ac proinde Romano illo Imperio (etiam cùm in flore & ac in sua stetit) multo major existit: sed insuper magnam etiam ipsius Romani Imperij & reliqui orbis partem possidet. Vt enim de gloriosissimo Romanorum Imperatore Rudolpho nihil dicam, qui cum hodierno Imperio florentissima Vngariæ, Bohemiæ & Croatiæ Regna, multosque principatus coniunxit: quis nescit magnum Hispaniarum Regem Philippum nostrum Tertium, quatuordecim quidem in Hispania regna continuare & sublimia Lusitaniæ sceptra ad Indos vsque protendere, tum Neapolitanum quoque Siciliæ, Sardiniæ, Majoricæ & Minoricæ regna, maximamque Italiæ huius partem sceptra eius agnoscere: Burgundiam verò & illum Prouinciarum ocellum ac delicias Belgicam scilicet; siue interiorem Germaniam Principalibus pluribus luxúriantem & cuivis regno minimè post habendam Serenissimo huic Archiduci Alberto subjectam esse? Frustra igitur sunt, & cum ipsi se fallunt, tum in similem errorem alios inducunt, qui vel Macedonicum Alexandri Magni vel Assyrium, vel Persicum, vel quæ posterioribus sæculis emersere Ottomanorum siue Turcicum, Sophorum, Tartarorum aliorumque Imperia cum hoc Austriaco comparare audent. Tantùm enim abest vt illud æquiparent: vt singula cõtrà quoddam illius quasi centrum siue punctum constituere videantur.

Novus Orbis.

Imperium Austriacum majus quàm alia imperia.

Adeo ergo quod de Roma Ouidius scripsit:

> Gentibus est alijs tellus data limite certo
> Romanæ spatium est Vrbis & Orbis idem.

Verè nos & multò verius de Austriaco Imperio pronunciare possumus.

> Regibus est alijs tellus data limite certo
> Imperij spatium est Austrij & Orbis idem.

Nolumus tamen Pater Beatissime, vt hæc ipsorum nobilitas augusta & stupendum humanæ Majestatis ac potentiæ exemplar quicquam laudi habeat, nisi ea omnia CHRISTI semper & Sanctæ Apostolicæ sedis au-

ctorita-

ctoritati gloriæque fuerunt ancillata, nisi eo semper animo Austriaci fuerunt vt non minus Ecclesiæ, quàm sibi prouincias suas parere & subjectas esse cuperent: nisi Alberti fuerunt qui hæresis Hussiticæ propugnatores in diuini nominis gloriam & ad conservandam sedis huius auctoritatem compescerent: nisi Fridericos ea dedit familia, qui Germanos ad eandem Hussi hæresin inclinantes in obedientia Ecclesiæ conseruarent, qui schismata de huius Sedis occupatione per violentiam quorundam nata tollerent, qui auctoritatem Apostolicam perperàm vsurpantes vel ementientes in ordinem redigerent; nisi etiam Caroli ex ea memorantur, qui Turcorum impetus Ecclesiæ Catholicæ bono eluderent & reprimerent, qui Germaniæ Regulos ingenti militum numero hæresin suam tueri contendentes, mirabiliter compescerent; qui religionis denique Catholicæ amore Vale rebus mundanis dicto & imperio abdicati diuinis meditationibus immorerentur: nisi Philippi inde sunt exorti, qui Nouos Mundos sanctæ huic sedi subjugarent: qui deinde hæreticorum odio, eorumque exstirpandorum ardore suas ipsi segetes vrere, & pulcherrimis Belgij Vrbibus hostile aratrum imprimere nunquam recusarent; nisi postremò hodieque Austriaci omne suum studium & industriam in eo collocant, vt omni è Regnorum suorum finibus hæresi exulante cuncti jussa sedis Apostolicæ capessant.

Continuum Domûs Austriacæ studium erga Sedem Apostolicam.

Hæc Schoppius de Augusta nobilitate, stupenda potentia ac indefesso erga Sedem Apostolicam studio modernorum Principum Austriacorum, quæ profectò omnia hoc nostro tempore in gloriosissimo MATTHIA *Romanorum Imperatore divinis planè auspiciis electo, & nouis maximisque incrementis aucta sunt, & felicissimo optatissimóque euentu confirmata. Igitur his generatim dictis de variis dotibus ac ornamentis familiæ Anicianæ, eiúsque posterorum Austriacorum, nunc vt propositum est nobis ad inuestigandam eiusdem stirpis originem & antiquitatem accedamus.*

CAPVT

CAPVT III.

De Anicianæ Domûs clarissima generis antiquitate.

ETsi laus, quæ à generis antiquitate petitur, nec propria, nec solida esse vulgò censeri solet, quia vt à Satyrico canitur:

Iuuenalis.

—miserum est aliorum incumbere famæ:

magnum tamen eam momentum & accessionem ad laudes familiæ Anicianæ afferre existimo: quippe in qua virtus, quæ sola & vnica nobilitas est, cum ipsa generis antiquitate non est antiquata, sed in dies magis magisque reflorescit, aliósq; assiduè ex alijs viros clarissimos ac principes omni virtutum genere florentissimos perpetua quadam serie propagat: vt absque vlla assentatione eidem familiæ illud Terentianum, quamuis paullò immutatum de quouis modernorum Austriæ Principum dictum accommodari possit:

Terentius.

—Is quod est consimilis moribus
Conuinces facilè ex te natum; tui similis est probè,
Tum prætereà talem, nisi tu nulla pareret filium.

Vt enim ex optima radice & arboris trunco florentes rami generosique fructus nascuntur: ita à parentibus igniculi seu semina quædam virtutis & ingenuitatis liberis inseruntur, quæ deindè diligenti educatione, propriáque exercitatione culta exsuscitatáque, in florem ac frugem maturæ probitatis & honestatis erumpunt. Vnde rectè Horatius:

Horatius.

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam:
Doctrina sed vim promouet insitam
Rectique cultus pectora roborant.

Igitur inuestiganti mihi supremam Anicianæ Domûs an-

tiquitatem ad majorem Augustissimæ Austriæ familiæ commendationem; nemo erit vt arbitror tam peruersæ mentis, aut tam perfrictæ frontis, qui illud Satyricum obgannire audeat:

Quis fructus generis tabulâ jactare capaci
Fumosos Equitum cum Dictatore Magistros.
Si coràm Lepidis malè viuitur? effigies quò
Tot bellatorum, si luditur alea pernox?

Iuuenalis.

Ex dictis enim superiori capite manifestum euadit Habsburgios Austrios auitæ virtutis & probitatis decus, ab Aniciis majoribus suis partum & quasi testamento sibi delegatum non solùm sartum tectum conseruasse, sed etiam maximis & recentibus in omni virtutum genere incrementis auxisse, summóque feliciter & diu continuato Augustæ dignitatis honore, Orbisque Christiani finibus latissimè propagatis magis magísque illustrasse.

Quæ laudanda sit generis antiquitas.

Porrò antiquitatem generis, quam Anicianæ Domui laudi tribuendam esse censemus, non illam intelligimus, quæ hominibus alioquin obscuris & nouis communis esse potest, qui ipsam vel à primo humani generis parente, vel à Noacho tanquam à capite arcessunt, nullis verò intermediis gradibus, propter majorum suorum obscuritatem, ad calcem in qua ipsi sunt constituti, deriuare possunt: sed eam quæ cum claritate nominis conjuncta gradatìm non intercisa serie, successione, & hæreditate, longóque ordine ad posteros est deducta.

Anicii generis antiquitate jam ante mille & quadringentos annos cæteris familiis præstitère.

Hac igitur generis antiquitate certum est & esse debet gentem Aniciam non modò hoc tempore, quo felicissimè in stirpem Austriam propagata totum pœnè orbem Christianum imperio & affinitate complexa est, cæteras omnes principes familias antecellere, sed etiam ante mille & quadringentos annos & ampliùs nobilissimas florentissimásque Romanæ Vrbis cognationes superasse. Nam Diuus Hieronymus etsi plures suo tempore fœminas generis claritudine & antiquitate illustres extitisse scribat: qualis Furia illa Probi nurus fuit,

quam à Camillis ortam asseuerat: qualis Fabiola, quæ à Q. Maximo Cunctatore per Fabiorum gentem generis sui vt idem ait originem traxit: qualis etiam S. Paula fuit quæ tali ab eodem est ornata Epitaphio:

In vita S. Paulæ.

Scipio quam genuit, Paulæ fudêre parentes,
Gracchorum soboles, Agamemnonis inclyta proles
Hoc jacet in tumulo, &c.

Aniciæ tamen Faltoniæ Probæ omnium dignitatum & cunctæ nobilitatis in Orbe Romano nomen illustrius esse *affirmare non dubitauit. Quare S. Prosper ad Demetriadem huius Probæ neptem scribens, eam super omnes ad fastigium trabeatæ nobilitatis euectam asserit:* Valde *(inquit)* mirabile erat, & inter præcipua diuinæ gratiæ exemplar adnumerandum, quòd virgo Anicia super omnes ad fastigium trabeatæ nobilitatis euecta, de cuius fæcunditate auis atque atauis responsura posteritas, & familiæ votis expectabatur & patriæ; conuerso repentè animo, desiderio cœlestium nuptiarum declinasti mortale conjugium, &c. *Et S. Innocentius Papa ad eius dem matrem Aniciam Julianam scribens eam in ipso nobilitatis apice constitutam affirmat, dum ait:* In ipso enim nobilitatis apice multò nobiliorem Ecclesiæ deuotionem impendis, & magis læta CHRISTI agnitione, præceptis eius obtemperas, & de fide potiùs exultas, quàm tanti generis flore jactaris. *Hinc etiam S. Augustinus ait:* Virgines quæ sibi optant Aniciorum claritatem, eligant sanctitatem: illud enim quantâ libet cupiditate quandò assequentur? hoc autem, si plenè cupierint, habebunt, *hæc August.*

Epistola 2. ad Demetriadem.

Apud Ambros. Epist. 84.

Epistol. Rom. Pontificum, Epist. 11.

Epist. 179.

Neque verò solùm SS. Patres hanc summam generis claritudinem in familia Aniciana agnouêre: sed etiam alij scriptores, inter quos est Claudianus, qui Anicios, quos vt supra dictum est Auchenios vocat, cunctis sui temporis Vrbis Romæ luminibus hac generis antiquitate præstitisse confirmat: Sic enim ait:

Nec quisquam procerum tentat, licet ære vetusto
Floreat, & claro cingatur Roma Senatu
Se jactare parem: sed primâ sede relicta,
Auchenijs de jure licet certare secundo.

In Panegyrico ad Olybrium & Probinum fratres.

Quòd certè factitatum in Acilio Glabrione, quem infra Anicianæ stirpis germen fuisse ostendemus, Herodianus refert. Nam cùm interempto Commodo Imperatore Ælius

Herodianus lib. 2.

Perti-

Pertinax nocte à milite & populo Imperator renunciatus fuisset, & is Imperium suscipere cunctaretur, quòd videret superesse nonnullos Senatores nobilissimos, quibus, ob nobilitatem magis conuenire Imperium videretur; manè postquam diluxit in Curiam se contulit nullis Imperij prælatis insignibus: cúmque à frequentissimo Senatu faustis acclamationibus exceptus & Imperator consalutatus sese ob ingrauescentem senectam ac generis mediocritatem excusasset; Glabrionem tanquam Imperio dignissimum manû comprehensâ protractum sessitare Imperatoria sella jussit: Erat enim, *inquit Herodianus*, ille omnium Patriciorum nobilissimus, &c. *Vidésne igitur Lector jam tempore Commodi & Pertinacis Impp. in amplissimo Vrbis Senatu fuisse neminem, qui Anicianæ stirpis homines splendore generis anteiret. Hinc factum arbitror vt stirps Anicia præ cæteris familiis Romanis Domûs nomine, quo duntaxat principes familiæ censeri solent, significata reperiatur, vt videre est apud Cœlestinum PP. & Aurel. Symmachum: quorum hic Anicianam familiam clarissimam & inlustrem, ille verò religiosam & inlustrem Domum appellat: in veteri etiam inscriptione, quam suo loco integram describemus. Sext. Petronius Probus Anicianæ Domûs culmen nuncupatur. Maneat igitur fixum ac stabilitum familiam Anicianam non solùm hac nostra ætate qua in Austriam Domum transplantata summum nobilitatis verticem apprehendit: Sed etiam multis antè sæculis cæteris omnibus nobilissimis familijs generis claritate & antiquitate præstitisse.*

Epistola ad Theodosium juniorem. Libro 10. Ep 41.

CAPVT IIII.

Vtrum familia Anicia fuerit patricia, an plebeia?

PRimus qui in veterum monumentis Anicij nomine insignitus reperitur, fuit Q. Anicius Prænestinus, qui anno ab Vrbe condita quadringentesimo quadragesimo nono, nempe antè mille nongẽtos & ampliùs annos vnâ cũ Cn. Flauio Ædilis Curulis creatus est, vti Plinius testatum reliquit, vbi agit de vsu annulorum his verbis: Frequentior autem vsus annulorum non ante Cn. Flauium Annij filium deprehenditur; Hic namque publicatis diebus festis, quos populus à paucis principum quotidiè petebat, tantam gratiam plebis adeptus est, alioquin libertino patre genitus & ipse Appij Cœci Scriba, cuius hortatu excepera t eos dies, consultando assiduè sagaci ingenio, promulgaueratque vt Ædilis Curulis crearetur cum Q. Anicio Prænestino, qui paucis antè annis hostis fuisset; præteritis C. Petilio & Domitio, quorum patres Consules fuerunt, additum Flauio vt simul tribunus plebis esset. Quo facto tantâ Senatus exarsit indignatione vt annulos ab eo abjectos fuisse in antiquitissimis reperiatur annalibus. *Ita Plinius quì cum Cn. Flauio objiciat, quod libertino patre sit genitus, Q. verò Anicio duntaxat, quòd paucis antè annis hostis fuisset: nulla veterum auctoritate nixi recentiores, è quorum numero sunt Onuphrius Panuinius & Stephanus Vinandus Pighius, hunc Q. Anicium in classem plebeiorum conijciunt.*

Annij seu ut alij volunt Cnei F. Plinius naturalis historiæ lib. 33. cap. 1.

...n lib. de fami... ...ilijs Roman. ...s annal. Rom. ...b 5.

Nam præter ea quæ jam superiùs de antiquissima Anicianæ gentis nobilitate diximus, Titus quidem Liuius dum confert. L. Anicij triumphum de Rege Gentio & Illyriis cum triumpho L. Æmilij Pauli de Rege Perseo & Macedonia (qui triumphi habiti sunt anno ab V. C. quingentesimo octuagesimo sexto) etsi L. Paullum ob generis splendorem præferat, insinuat tamen Anicium auito & nobili genere oriun-

dum

dum fuisse. Quod quidem manifestiùs euadit ex insolenti Cn. Flauij collegæ Q. Anicij facto, cùm sella curuli inter nobiles, cùm sibi assurrectum non esset, consedit. Rem gestam refert Liuius his verbis: Haud memorabilem rem per se, nisi documentum sit aduersus superbiam nobilium plebeiæ libertatis referam. Ad collegam ægrum visendi causâ Flauius cum venisset, consensuque nobilium adolescentium, qui ibi assidebant, assurrectum ei non esset, curulem afferri sellam eò jussit, ac sede honoris sui anxios inuidiâ inimicos spectauit. *Q. enim Anicium collegam fuisse Flauio in ædilitate curuli, ex Plinio paullò ante retulimus: quare cùm nobiles adolescentes, qui Flauio non assurrexère Anicium morbo laborantem inuiserint, satis liquet, non solùm nobilitatem nulla indignatione contra eundem motam fuisse ob delatum ipsi ædilitatis honorem: sed etiam in petitione eiusdem dignitatis eidem tanquam vni ex suo Ordine plurimùm fauisse: quem deinde ægritudine debilitatum omnibus humanitatis officijs sunt prosecuti. Quodquidem pœnè apertè indicat Liuius in sequentibus dum ait:* Cæterùm Flauium dixerat ædilem forensis factio Ap. Claudij censura vires nacta, qui Senatum primus Libertinorum filijs lectis inquinauerat, & posteaquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in Curia adeptus erat quas petierat opes vrbanas, humilibus per omnes tribus diuisis, forum & campum corrupit, tantumque Flauij Comitia indignitatis habuerunt, vt plærique nobilium annulos aureos & phaleras deponerent. *Hæc Liuius, planè significans non Anicium sed Flauium ædilem creatum à forensi factione, eiusque rei indignitate adeò permotos animo nobiles fuisse vt plærique illorum annulos aureos posuerint.*

Liuius dec. 1. l. 9.

Loc sup. cit.

Porrò quam ob causam hic Q. Anicius hostis Reipublicæ fuerit, nullo proditum est antiquitatis monumento. Opinatur verò Arnoldus Wion ipsum ob suspectam populo Romano potentiam ingentésque opes hostem Reipublicæ adjudicatum, quæ opinio nulla probabili nititur conjectura. Nam eo Reipublicæ tempore quo vixit hic Q. Anicius nondum res Romana adeò creuerat, vt tanta fuerit in Vrbe opum affluentia quæ potuerit cuipiam inuidiam parere, immò necdum ciuitas argento signato vtebatur, Consulésque adhuc Vrbis impe-

Quam ob caussam Q. Anicius hostis Reipubl. fuerit.

rium

rium capeſſendum ab agris & aratro arceſſebantur: neque Liuius aut alij rem tantam dignam memoratu ſilentio præterijſſent, præſertim vbi ipſis de Romanorum opulentia aut tenuitate agendum fuit. Quare potiùs exiſtimo hunc Anicium inter eos nobiles Romanos fuiſſe, qui à Dictatore C. Mœnio de ambitu poſtulati, ob coitiones honorum adipiſcendorum causâ factas, aduersùs Rempublicam feciſſe judicati ſunt. Nam quòd hic Anicius à nobilibus plurimùm coleretur, quorum frequentiâ: vt Valerius Maximus ait, cubiculum in quo æger decubuit, completum fuit, magnam occaſionem dediſſe potuit vt eidem ambitionis crimen non improbabiliter impingeretur. Igitur rem geſtam prout à Liuio deſcripta eſt, hic intexamus: ſic enim ait:

Liuius Dec. 1. lib. 9. Anno ab V.C. 441.

Eodem annò cùm omnia infida Romanis eſſent, Capuæ quoque occultæ principum conjurationes patefactæ, de quibus cùm ad Senatum relatum eſſet, haud quaquam neglecta res eſt, quæſtiones decretæ Dictatoremque quæſtionibus exercendis dici placuit. C. Mœnius dictus, is M. Foſlium magiſtrum Equitum dixit. Ingens erat magiſtratûs eius terror. Itaque ſiue timore eius, ſeu conſcientia Clauios, Oueum Nouiumque (ea capita conjurationis fuerant) priusquam nominarentur apud Dictatorem, mors haud dubiè ab ipſis conſcita, judicio ſubtraxit. Deinde & quæſtioni Campanæ materia deceſſit, verſa Romam interpretandores, non nominatim qui Capuæ, ſed in vniuerſum, qui vſquam coiſſent conjuraſſentue aduerſus Romanum populum, quæri Senatum juſſiſſe, & coitiones honorum adipiſcendorum causâ factas aduersûs Rempublicam eſſe, latiorque & re & perſonis quæſtio fieri; haud abnuente Dictatore ſine fide vlla quæſtionis ſuæ jus eſſe. Poſtulabantur ergo nobiles homines, appellantibusque Tribunos nemo erat auxilio, quin nomina reciperentur. Inde nobilitas, nec ij modò in quos crimen intendebatur, ſed vniuerſi ſimul negare nobilium id crimen eſſe, quibus ſi nulla obſtetur fraude, pateat via ad honorem; ſed hominum nouorum, ipſos adeò Dictatorem Magiſtrumque equitum reos magis, quàm quæſitores idoneos eius criminis eſſe, intellecturosque id ita eſſe, ſimul magiſtratu abijſſent.

Tum enimverò Mœnius jam famæ magis quàm Imperij memor, progreſſus in concionem ita verba fecit: Et omnes anteactæ vitæ vos conſcios habeo Quirites, & hic ipſe honos delatus ad me, teſtis eſt innocentiæ meæ. Neque enim quòd ſæpè aliàs, quia ita tempora poſtulabant Reipublicæ, qui bello clariſſimus eſſet, ſed qui maximè procùl ab his coitionibus vitam egiſſet, Dictator deligendus exercendis quæſtionibus fuit. Sed quoniam quidam nobiles homines (qua de cauſa vos exiſtimare, quàm me pro magiſtratu quicquam incompertum dicere melius

est) primùm ipsas expugnare quæstiones omni ope annisi sunt: dein postquam ad id parùm potentes erant, ne causam dicerent, in præsidia aduersariorum, appellationem & tribunitium auxilium Patricij confugerunt: postremò repulsi inde (adeò omnia tutiora, quàm vt innocentiam suam purgarent visa) in nos irruerunt, & priuatis Dictatorem poscere verecundiæ non fuit, vt omnes Dij hominesque sciant, ab illis etiam quæ non possint tentari, ne rationem vitæ reddant, me obviam ire crimini & offere me inimicis reum Dictatura me abdico. Vos quæso Coss. si vobis datum ab Senatu negotium fuerit, in me primum & hunc M. Foslium quæstiones exerceatis, vt appareat innocentia nostra nos, non majestate honoris tutos à criminibus istis esse.

Abdicat inde se Dictatura, & post eum confestim Foslius Magisterio equitum: primique apud Coss. (ijs enim ab Senatu mandata res est) rei facti aduersus nobilium testimonia egregiè absoluuntur. P. etiam Philo multiplicatis summis honoribus post res tot domi belloque gestas, cæterùm inuisus nobilitati causam dixit, absolutus est. Nec diutiùs (vt fit) quàm dum recens erat quæstio per clara nomina reorum viguit, inde labi cœpit ad viliora capita, donec coitionibus factionibusque aduersus quas comparata erat oppressa est.

Hactenus de his Liuius, qui cùm hæc ad annum quadringentesimum tricesimum nonum Vrbis conditæ referat, facile intelligitur Plinium hæc eadem respexisse, eosdémque quos Liuius secutum fuisse annales, cùm tradit Q. Anicium ædilem creatum paucis antè annis hostem fuisse, nempè ante decennium, cùm plures nobilium Romanorum ambitus rei facti, hostes Reipubl. judicati sunt. Cæterùm non sum nescius Liuio Capitolina marmorum fragmenta refragari, quæ indicant eo quem diximus anno C. Mœnium secundùm Dictatorem fuisse, & non quæstionum exercendarum sed rei gerundæ causâ: quod ipsum etiam colligitur ex P. Sempronij tribuni oratione aduersus Ap. Claudium Cæcum censorem, anno CDXLIII. dictâ, qui ita apud Liuium loquitur: Quid ego antiqua repetam, nuper intra decem annos C. Mœnius Dictator, qui cum quæstiones seueriùs, quàm quibusdam potentibus tutum erat, exerceret, contagio eius quod quærebatur criminis ipsi objectata ab inimicis est, vt privatus obuiam iret crimini, dictatura se abdicauit. *Cùm enim ab hac altera Mœnij dictatura ad tribunatum plebis P. Sempronij tres duntaxat intercesserint anni, perspicuè constat eas quæstiones quas intra decem annos habitas à Dictatore Mœnio fuisse Sempronius dixit, ad primam C.*

Mœnij dictaturam referendas esse. Tot enim ferè reperies ab illa ad tribunatum Sempronij annos. Itaque ex his consequatur, Q. Anicium eo quo ædilis curulis factus est anno, etiam ante sex suprà decennium annos ambitûs reum ac hostem Reipubl. judicatum fuisse. Quare omninò mihi persuasum est Plinium, cùm scripsit, paucis ante annis hostem fuisse Anicium, eosdem annales, ex quibus Liuius condidit historiam secutum esse, & non Sempronij orationem, ideoque existimâsse, quæstiones illas de ambitu habitas fuisse in altera, C. Mœnij dictatura. Atque hæc mea de Q. Anicio est sententia, cessurus non inuitè meliora & certiora afferenti.

Vnde Q. Anicius cognominatus sit Prænestinus.

Cognominatus autem videtur. Prænestinus, vel quia Præneste natus fuit sicut plurimis nobilium Romanorum contigit in prouincijs & municipijs nasci & inde cognominari: vel quia hostis judicatus Præneste in exilio fuit: vel quia plurimùm Præneste degere solitus erat, vel demùm quòd Prænestinorum ciuitas sub ipsius patricinio fuerit constituta, At de his hactenus.

CAPVT V.

Vnde dicti sint Anicij, & de militibus legionarijs Romanis Anicijs.

PRimus igitur qui Aniciano nomine insignitus reperitur in veterum monumentis, fuit, vt dictum est, Q. Anicius Prænestinus: vnde autem ipsius progenitores nomen Anitium traxerint, & quæ sit genuina nominis Anicij origo, nunc peruestigandum venit. Qua quidem in re diuersæ Auctorum opiniones reperiuntur.

Prima est Ioannis Petri Villæ de Canibus Messanensis Marchionis, qui, vt refert Wion, Anicios ab Anysi Ægypti Rege, qui regnauit tempore Oziæ Regis Iudæ, oriundos & cognominatos tradit; atque tandem ex Anysijs euphoniæ gratiâ Anicios nuncupatos. Verùm hæc eius opinio nulla nititur probabili cõjectura. Nã vt infrà demonstrabimus, familia Anicia non fuit peregrina, sed verè Romana, & si altissimam eius originem repetas, Trojana, ab Ænea Trojanorum in Italiam Duce oriunda: quem cùm constet statim post Trojæ excidium cum viginti nauibus, quibus reliquiæ Trojanorum portabantur in Italiam nauigasse, qui annus fuit ab Orbe condito bis millesimus octingẽtesimus & vicesimus septimus, teste Eusebio, quadringentos suprà annos is ætate præcessisse debuit Anysim Ægypti Regem, quem Villa tradit coævum fuisse Oziæ Regi Iudæ, qui, ut supputat Augustinus Torniellus, regnare cœpit anno post creationem mundi suprà ter millesimum & ducentesimum vicesimo sexto.

Prima opinio. In opuscul. §.7.

In Chronico

In Annalib. sacris & prophanis tom. 2.

Deindè quidem non Anicios, sed Turranios Anisios di-

ctos fuisse, fidem facit marmor antiquum, quod Ianus Gruterus è Schedis Aloisij Lollini Episcopi Bellunensis descripsit, hunc in modum:

Pag. 476.

Belluni in colle D. Martino Sacr.

P. TVRRANIO. P. ANISIO
IIII. VIR.
TVRIÆ. ARINIÆ. P.
TVRRANIÆ. PARENTIB.
OPTI.
ANISI. TVRRANIVS.
SECVNDOS. V. F.

Extant & alia complura vetera Turraniorum monumenta apud Gruterum; sed diuersi planè ab Anicijs fuisse deprehenduntur, nullúsque eorum (quantum memini) præter Turranium Gratianum, qui vt ex auctore de Præfectis Vrbis refert Cuspinianus, sub Diocletiano Præfecturam Vrbanam administrauit, hactenùs à me est repertus, qui majorem gesserit Magistratum.

Secunda opinio.

In primo libro de gente Frangipania M S. cap. secundo.

Altera opinio, vt idem refert Wion, fuit Onuphrij Panuinij, qui à matre anu Anicios dictos putauit. Eius hæc sunt verba: Vetustissimi in Italia familiarum auctores ab euentis nomina propria & appellationes sibi assùmere consueuerunt, eadémque posteà posteris suis tanquam propria & gentilitia relinquebant. Ab Anicio itaque Anicij, isque Anicius ità forte fuit appellatus, quòd matre anu, id est vetula ortus esset: *quæ opinio si vera esset, Anucij non Anicij nominādi fuissent: quippè cùm nulla euphoniæ caussa prætendi possit; nam aliâs quòque Minitij non Minutij, Genitij non Genutij, Æbitij non Æbutij, quæ Romana sunt nomina, dicendum foret.*

Tertia opinio. Ioannes Annius.

Cap. 22.

Tertia opinio est Ioannis Annij, qui in Commentarijs in Berosi librum secundum, vbi agit de Genealogia primorum Ducum post diluuium, contendit quandam Thusciæ regionem Aniciensem dictam ab Anitino ex Sabatij Sagæ posteritate oriundo; cuius regionis meminisse ait Plinium libro tricesimo sexto naturalis historiæ. Verum Plinius eo in loco nullius agri Aniciensis facit mentionem; sed lapidicinas Anicianas ait fuisse in agro Tarquiniensi circà lacum Volsiniensem:

quæ

quæ lapidicinæ Anicianæ dictæ sunt ab Anicijs, quòd ex ijs marmora Romam conuectabantur ad Aniciorum ædes exstruendas, vt sequenti cap. dicemus; Sicut & ab ijsdem quoddam pyrorum genus cognominatum est Anicianum, quorum itidem meminit Plinius, Columella, & Varro. Deindè Anicios minimè nomen ab Anitino illo traxisse ipsa orthographiæ ratio demonstrat, siquidem Anicij Anitij per T. literam scribendi fuissent, si ab Anitino descendissent; cuius tamen contrarium & antiquum L. Anicij numisma apud Goltzium, & marmorum Capitolinorum fragmenta, nec non cætera quæ de Anicijs extant veterum inscriptionum monumenta testantur.

Col. l 5. cap. 10. Varr. cap 7.

Quare potiùs S. Gaudentio Episcopo Brixiano assentior cum Arnoldo Wion, qui Anicianum nomen Anicijs impositum insinuat propter inuictum animi robur magnitudinémque insuperabilem & in armis & in toga spectatam. Nam cùm in exordio eius sermonis, qui inscribitur de Machabæis, eosdem Sanctos cum Anicijs comparasset, hæc deindè subjungit: Nemini absurdum videatur, quòd eos paullò antè Anicijs comparaui: Anicij quippè ex Græco sermone à nobis nuncupantur Inuicti.

Vera opinio.

S. Gaudentius Serm. de Machabæis.

Verùm omninò ab inuicta & in armis spectata virtute Anicianum nomen deriuatum esse, testes sunt præcipuum militiæ Romanæ robur milites legionarij sub Aniciano nomine instituti, qui Inuicti aliâs nuncupabantur: de quorum numero fuit S. Georgius Cappadox; vt testantur veterrima eius gesta, quæ citat Wion, in quibus hęc circà principium leguntur: Eo verò tempore, quo talia gerebantur, erat vir quidam nobilis genere in eadem Prouincia Cappadociæ, nomine Georgius, ex ciuitate Mellena Tribunatûs officium gerens; ex numero scilicet illustrium propugnatorum, qui Græcò vocabulo ANICII, latinè autem INVICTI, siue INSVPERABILES dicebantur.

S. Georgius miles Anicius.

Wion in opusc. §.7.

Cæterùm ij in duplici differentia fuisse reperiuntur: nam qui in Oriente sub Magistro militum inter auxiliares Palatinos erant, Inuicti juniores dicebantur: qui verò in Occidente sub Magistro peditum etiam inter auxilia Palatina militabant, partim Inuicti seniores, partim Inuicti juniores Brito-

Duplex militum Aniciorum genus.

nes nominabantur, vt tradit auctor Notitiæ vtriusque Imperij.

Qui igitur Inuicti Seniores dicebantur, ipsi (vt docet Guido Pancirolus) in rubra parma album cippum præferebant, cui humanum caput prassini coloris, jubis leoninis circumdatum præfigebatur, tribúsque circulis albo, luteo & rubro margo vmbonis erat circumductus. Qui autem appellabantur Inuicti juniores, ij, (vt idem tradit Pancirolus) in rubræ parmæ vmbone cœruleum orbem luteo circulo circundatum gerebant; cuius marginem duo circuli cœruleus viridísque ambiebant.

In comment. in Notitiam Imp. Occid. lib. 2. cap. 22.

In comment. in Notit. Imp. Orient. lib. 2. cap. 36.

Porrò de Anicijs Equitibus loqui arbitror Alexandrum ab Alexandro, dum ait: Fuere & Cataphracti equites ferro muniti & fulti grauioribus armis, qui stabili gradu congredi & vim excipere solebant: quibus arma erant, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære, hasta, & gladius; cassides verò & thoraces, peditibus similes. *Hæc enim arma, quæ hic describuntur, in vetustissimis Diui Georgij statuis & simulachris cernere licet. Sed vt certiùs intelligas hæc de militibus Anicijs seu Inuictis dicta, audi quæ idem ad Inuictorum nomen alludens subjungat:* Hæc enim præ reliquis fortis & inuicta acies tanto robore munimentoque fuisse traditur, vt trepidam diffidentemque aciem plærúmque reparârit. Erat enim manus hæc validissima præ cæteris terrori hostibus & formidini; ab hisque gentes sæpiùs subactæ fuerunt & domitæ: quibus & equis operimenta fuere lintea, quæ ferreis laminis instar plumæ nectebantur; profectò munimentum contra omne telum insuperabile. *Hæc Alexander.*

Genialium dierum lib 6. cap. 22.

Arma militum Aniciorum.

Igitur vt eò reuertamur vnde digressi sumus; quemadmodum præcipuum militum robur ob inuictam bellicam virtutem, ac insuperabile armorum munimentum Aniciano nomine insignitum fuit: eodem modo, ob invictam animi virtutem, magnitudinémque insuperabilem idem nomen genti Aniciæ inditum fuisse, maximè veritati consentaneum videtur. Cui quidem sententiæ, vt hoc etiam addamus Divus quoque Aquinas subscripsisse reperitur & Giselbertus, dum in præfatione in opusculum Boethij de Sacratissima Trinitate, de Boethio qui se Anicium Manlium Torquatum Seuerinum Boethium nuncupauit, sic loquitur: Dignè, *inquit*, vocatus Anicius

fortitudine, Seuerinus grauitate, opitulatione Boethius, meritis Manlius. *Quam fortè etiam ob causam Anicijs Nicomachi nomen impositum videtur, quo vsum Paulinum seniorem ac nonnullos alios in eadem cognitione infrà ostendemus. At hæc de nomine Anicio satis.*

In Præfat. in opusc. Boethij de S S. Trinitate.

CAPVT VI.

Qui, ante partum Anicianum nomen, fuerint Anicij; seu qui fuerint Aniciorum majores.

CVm igitur ex dictis superiori capite sit perspicuum & stabilitum, Anicianum nomen genti Aniciæ ob inuictam animi magnitudinem, insuperabilémque in armis spectatam virtutem impositum esse: investigatu reliquum est, qui fuerint Anicij & quo nomine censebantur antè partum Anicianum nomen, seu qui eorundem extiterint progenitores.

Ac quidem Claudianus in Panegyrico suprà memorato cùm agit de Anicijs, quos vt antè dixi Auchenios vocat, eorum majores Amnios nuncupatos tradit: Sic enim Solem alloquitur:

Scis genus Aucheniûm, nec te latuêre parentes
Amniadæ? nam sæpè soles ductoribus illis
Instaurare vias, & cursibus addere nomen.

In Panegyr. cit.

Cui etiam adstipulatur Prudentius libro primo aduersus Symmachum, dum recenset complures familias Consulares, quæ CHRISTO *nomen dederant; inter quas primo loco numerat Anicios, quos vocat Amniadum sobolem:*

Aduersus Symmachum lib. 1.

Iamque ruit (*inquit*) paucis Tarpeia in rupe relictis
Ad syncera virûm penetralia Nazareorum,

Atque ad Apoſtolicos Euandria Curia fontes
Amniadum ſoboles & pignora clara Proborum.
Fertur enim ante alios generoſus Anicius Vrbis
Illuſtraſſe caput; ſic ſe Roma inclyta jactat.

Cæterùm non ſolùm Amnios, ſed & Pincios cognominatos fuiſſe Aniciorum majores, fidem facit nobile antiquitatis monumentum, quod vt Card. Cæſar Baronius & Ianus Gruterus referunt, extat Romæ in ædibus Cæſijs apud Vaticanam Baſilicam, vbi in baſi ſtatuæ Aniciꝫ Faltoniꝫ Probꝫ hꝫc inſcriptio legitur.

Annal. Eccleſ. Tom. 4. in fine. Gruterus pag. 351.

ANICIÆ. FALTONIÆ.
PROBÆ. AMNIOS. PINCIOS.
ANICIOSQVE. DECORANTI.
CONSVLIS. VXORI.
CONSVLIS. FILIÆ.
CONSVLVM. MATRI.
ANICIVS. PROBINVS. V. C.
CONSVL. ORDINARIVS.
ET. ANICIVS. PROBVS. V. C.
QVÆSTOR. CANDIDATVS.
FILII. DEVINCTI.
MATERNIS. MERITIS.
DEDICAVERVNT.

Idem de Amnia ſtirpe tribuit Auſonius Gallus Sexto Anicio Petronio Probo Faltoniæ Probæ marito hiſce verbis:

Auſonius epigram. 21.

Stirpis nouator Amniæ,
Paribuſque comit infulis,
Aniciorum ſtemmata.

Et in lemmate Symmachi Anicius Iulianus Sext. Petronij Probi proavus Amnius vocatur. Sic enim ait:

Cuius opes, aut nobilitas, aut tanta poteſtas,
Cedenti cui non præluxerit Amnius vnus?

Ex qua amborum auctoritate ac præcedenti ſtatuæ inſcriptione deprehenditur mendum vitio Scriptorum aut Typographorum irrepſiſſe in paullò ante adducta teſtimonia Claudiani & Prudentij, in quorum primo Auniadæ, in altero Anniadæ pro

Amniadæ legitur. Fuit quidem clara & illustris Romæ familia Annia, diuersa tamen fuit ab Aniciana.

Porrò quæ & qualis fuerit gens Pincia & Amnia etsi inter perscrutandas Romanarum antiquitatum reliquias ne leue quidem earum alicubi impressum vestigium reperire potui: clarissimas tamen eas fuisse, non solùm ex prædictis Claudiani ac cæterorum testimonijs liquet, sed etiam quia vni è Romanis collibus gens Pincia Pincium nomen indidisse videtur. Sicut enim ab Auentino Albanorum Rege mons Auentinus, teste Liuio nomen accepit: & Cælius à Duce Cælio Hetrusco, vt tradit Halicarnassæus: ita etiam à Pincio Pincium eum montem dictum esse conjectura non leui augurari possumus, à quo olim candidati in campum Martium ad petendos prensando populum Magistratûs descendebant. Quæ opinio si minùs arridet, dicamus licet Pincios à monte Pincio, in quo ædes eorundem sitæ erant, & non montem ab ipsis denominatum esse: quemadmodum Manlij à Capitolio in quo habitabant Capitolini, & Petri Leones ab Auentino monte Comites Auentini sunt appellati. Verùm priori opinioni subscribit Alexander ab Alexandro, qui Collatinã portam Pincianã dictam asserit, à proximo Pinciorum palatio: quod tãtæ magnificentiæ fuit, vt eius marmora demolita Theodoricus Rex magnâ licet impensâ, Rauennam deportari curârit. Summum quidem fuisse marmorum splendorem ac elegantiam in ædibus Aniciorum, qui à Pincijs descenderunt, jam suprà audisti; adeò vt etiam in prouerbium abierint. Vnde Secundinus ad Augustinum: Ego namque fateor, non tali diligentia nec tanta industria Anicianæ domûs micare marmora, quanta tua scripta prælucent eloquentia. *Habuerunt enim Anicij jam tempore Plinij senioris insignes lapidicinas in agro Tarquiniensi, è quibus saxa & marmora ad eorundem ædes exstruendas & ornandas in Vrbem conuectabantur: quarum idem Plinius facit mentionem dum ait:* Nigri silices optimi quibusdam in locis & rubentes. Nonnusquam verò & albi, sicut in Tarquiniensi Anicianis lapidicinis circà lacum Volsiniensem.

Liuius lib. 1. Decad 1.

Dionysius Halic lib 2.

Lib. 4 Genral. dierum cap. 16.

Apud Cassiodorum Variarum lib. 3 epist. 10.

apud Augustinum, Tom 6

Earun-

Plinius naturalis Histor. lib. 36 cap. 22. De architectura lib. 2. cap. 7.

Earundem meminit Vitruuius his verbis: Sunt verò item lapidicinæ complures in finibus Tarquiniensium, quæ dicuntur Anicianæ, colore quidem, quemadmodùm Albanæ, quarum officinæ maximæ sunt circà lacum Volsiniensem. *Præstantissima verò ex his Anicianis lapidicinis marmora & magnâ impensâ Romam deportata fuisse, idem Vitruvius indicat, dum post laudes earundem lapidicinarum subdit:* quæ si propè Vrbem essent, dignum esset vt ex his officinis omnia opera perficerentur.

Ceterùm quanquam à Rege Gothorum Theodorico complura marmora è domo Pinciana fuerint ablata; tantę tamen amplitudinis ac splendoris, plurimis licet ornamentis spoliata permansit, vt in eâ Belisarius recuperatâ à Gothis Vrbe diuersari voluerit. Testatur hoc Anastasius Bibliothecarius in Silverio, dùm tradit eundem Siluerium Pontificem à Belisario in idem Pincianum palatium accitum, insidijs ac jussione Theodoræ Augustę de Pontificatu dejectum esse. Itaque à Pincijs, quorum illę ędes magnificentissimę fuêre, non solùm ipse mons Pincius, sed & ipsa Vrbis porta eodem in monte Pinciana cognominata est: cuius extat cum insigni miraculo conjuncta memoria apud Procopium, qui eam Vrbis partem semper singulari sub tutela Principis Apostolorum extitisse tradit. Sic enim ait: Inter hanc portam nempe Flamineam & alteram ad dexteram huic proximam portulam, porta alia est quæ Pinciana vocatur. Huic proximi muri pars quædam, lapidum laxata jam pridem compagine sejuncta spectatur, non solùm à solo, sed à medio ad summum fastigium scissa, nec sanè collapsa, nec aliàs resoluta, sed vtrinque sic inclinata, vt cætero muro extrinsecùs partim prominentior esse appareat, partim retractior. Hanc muri partem cùm demoliri tum primum Belisarius niteretur & iteratò ædificare cœpisset: obstitêre Romani, Petrum Apostolum pro indubitato se comperisse asseuerantes, eius loci tuendi pollicitum curam se suscepturum. Quod vtique Romanis ex voto successit: quandoquidem nec eo die quo per Gothos sunt mœnia oppugnata, nec per omne id tempus, quo Vrbem obsiderunt barbari, hostilis vir vllus ad hunc locum peruenit, nec planè vnquam eodem tumultuatum. Et sanè me admiratio subit, nec Romanis nec hostibus ipsis in ea tam diuturna Vrbis obsidione in memoriam venisse muri hanc partem. Quæ res cum miraculi posteà loco sit habita, nec sarcire quidem in posterum quisquam, nec de integro restituere ausus est, sed ad hunc diem ea è regione sejunctus permanet murus. *Ita Procopius. Durat ad huc in hodiernum diem illud*

Anastasius Bibliothecarius in Silverio PP.

Procopius de bello Gothico lib. 1.

fracti muri prodigium, egóque aliquoties illic pertransiens dum Romæ studiorum gratiâ versarer, miraculi ignarus semper propter metum ruinæ in alteram partem longè à muro deflexi. Sed hæc de Pincijs satis.

De Amnia verò familia nihil certi habeo quod dicam. Refert quidem Lazius Amnum quendam vnâ cum Tarchonte apud Aborigines veteres Italiæ populos regnasse, dum Israelitæ Egloni Moabitarum Regi seruirent, & Bellopares apud Assyrios, Paris apud Celtas rerũ potiebantur: verùm tabulæ Theodori Zvvingeri, in quibus Italiæ & Thusciæ Reges descriptos habet, Amnum Tarchonte illo, qui æquæuus fuit Egloni Moabitarum Regi, quingentos propè annos posteriorem tradunt: vtpotè qui circà annum à mundo condito 3049. in Italia dominatus sit: qui fuit annus vltimus Tyberini Syluij decimi Latinorum Regis, à quo Tyberis nomen accepit, cùm olim Albula vocaretur. Verùm Ioannes Annius hunc non Amnum, sed Annum nuncupatum contendit, ab eoque deriuatam ait Anniam Thuscam vetustissimam familiam, cuius germen fuit teste, vt ipse ait, Helio Spartiano Antoninus Pius Augustus. Cæterùm de Annijs altum apud omnes silentium. Vnicam tamen veterem inscriptionem reperi apud Gruterum, ex qua videtur colligi posse, Valerios ab Amnijs profectos esse. Sic enim se habet:

Lazius de gentium migrationibus lib . circa initium.

Theodor Zvvingerus in Theatro mundi, tom. 27. lib 2.

In Chronographia Thuscia.

Q. VAL.
VITILI.
AVGVST.
EVROPA.
ET. SIBI.
Q. SVLPICI.

Gruterus pag. 481.

In altero verò latere hæc leguntur:

AMNII. Q. F.
VITILI.
EVROPA. F.

Ex ea enim fit manifestum Amnium Q. Val. Vitili filium fuisse, cui fortè Amnium nomen à majoribus Valeriorum acceptum in memoriam eorundem impositum fuit.

Vndè in eam facilè adducor sententiam vt existimem non nisi medijs Valerijs Anicios ab Amnijs oriundos fuisse. Nam nec pauca nec leuia proferri possunt ex veterrimis venerandæ antiquitatis monumentis argumenta, quibus redditur testatum Anicios aliquo modo genus suum ad Valerios retulisse. Vt enim hinc exordiar, quis inficias eat Faltonios à Faltonibus cognominatos, quorum illud Aniciorum, hoc Valeriorum cognomen fuit? Et quidem jam ex posita superiùs inscriptione fit perspicuum Sexti Anicij Petronij Probi conjugem dictam fuisse Aniciam Faltoniam Probam, ipsiq; Faltonium nomen non fuisse novum, sed auitum & gentilitium, produnt duæ inscriptiones antiquæ patrui eiusdem quinto libro describendæ, qui vt ex eisdem patebit, dictus fuit Faltonius Probus Alypius. Cæterùm sicut Faltonium ita & Probum cognomen non à Sexto Petronio Probo & Anicia Faltonia Proba primùm vsurpatum est, vt quidam sunt opinati, sed multò antè in eadem Aniciana familia frequentatum reperitur, vt testatum fit ex egregio illo antiquitatis monumento, quod est apud Gruterum in auctario, vbi ipse ex Vrsinianis refert via Appia eiusmodi literis incisum marmor reperiri:

Anicij videtur aliquo modo à Valerijs descendisse.

Hieronymus Bardi. Arnoldus Vion.

Gruterus, pag. 1025.

C. ANICIO. FALTONIO. CLAR. VIRO.
VIX. ANN. XXXVI. M. VIII. D. VIII.
C. ANICIO. C. F. FALTONIO. FRONTONI.
VIX. ANN. XVIII. MEN. VI. HOR. VIII.
M. ANICIVS. M. F. QVIR. PROBVS. II.
K. OCTOB. M. AVRELIO. SEVERO. II.
ET. T. CLAVDIO. POMPEIANO. COS.

Incidit hic eorum Consulatus secundùm chronologiam Cæsaris Baronij in annum CHRISTI *centesimum septuagesimum quintum, quo anno gens Anicia Faltonia in Aniciam Probam desijsse videtur: cùm diuersa ab illa anteà fuisset, vt apparet ex jam descripto veteri monumento.*

Porrò Faltones, à quibus Faltonij sunt cognominati, Valeriæ stirpis germen fuisse cùm fasti consulares tum Capitolina

Faltones fuisse Valeriæ stirpis germen.

marmo-

marmora testantur, in quibus ad annum post Vrbem conditam quingentesimum decimum quartum. Q. Valerius Consul cum C. Manilio Turino sic notatus habetur:

Q. VALERIVS. Q. F. P. N. FALTO.

Sequenti verò anno Consulatum egit cum Ti. Sempronio Graccho eius dẽ frater, vt eadẽ produnt Capitolina marmora:

Vide Gruterum pag. 292.

P. VALERIVS. Q. F. P. N. FALTO.

Triumphum verò navalem egit de Sicilia Q. Valerius biennio ante initum Consulatum, vt in columnis triumphalib. Capitolinis annotatum reperitur, hoc modo:

Q. VALERIVS. Q. F. P. N. FALTO. PRO. PR.
A. DXII. EX SICILIA. NAVALEM. EGIT.
PRID. NON. OCT.

Extat vtriusque Faltonis vetus numisma æreum in fastis Magistratuum Triumphorúmque Romanorum ab Huberto Goltzio editis, quæ studioso antiquitatis lectori, pro vt ibidem formis expressa visuntur, hic reddenda curavimus.

Valeriorum Faltonum numismata.



Horum autem alterius, aut filius, aut nepos fuit M. Valerius Falto; quem refert Liuius anno. V.C. quingentesimo quinquagesimo secundo Ædilem Curulem fuisse cum M. Fabio Butheone, ac sequenti anno Prætorem creatum. Lucij etiam Valerij Faltonis extat memoria Romæ in tabella apud Cardinalem Carpensem, teste qui eam vidit Smetio, hoc modo:

L. VALERIVS.
L. F. FAL.
VIXIT. AN. XLIIII.

Quare cùm nullam aliam Romanam familiam patriciam Faltonis cognomine insignitam, prater Valeriam, hactenus repererimus, excepto quodam Flauio Curatore viarum sub Nerva Imperatore, cuius hujusmodi Romæ inscriptio legitur:

SEX. FLAVIVS. L. F. FALTO.
IIII. VIR.

non dubitamus affirmare Aniciam gentem ab eadem Valeria Faltonum stirpe Faltoniam cognominatam esse.

Cæterum Anicios à Valerijs Faltonibus non paterno, sed materno genere oriundos fuisse, illud opinari facit, quòd memoria Aniciorum multò antiquior reperiatur, quàm Valeriorum Faltonũ; & qui à paterna gente denominarentur, cognomina eadem quæ majores ipsorum, & non in possessiuum inflexa modum, gerebant. Quare eodem modo Pinciam & Amniam stirpem in Anicianam Domum translatam existimo, intercisa jam illarum familiarum serie: vnde Ausonius de Sex. Anicio Petronio Probo rectè cecinit:

Vbi supra.

Qui vicit ævi injuriam.
Stirpis novator Amniæ.

Atque hæc in tanta rerum antiquissimarum obscuritate de Pincia & Amnia gente dicta sufficiant: gratissimo verò accipiemus animo, si quid nobis ab alijs submissum fuerit è refertissimis omnis generis antiquitatum cellis penarijs, quod idoneum aptúmq; fuerit, ad hanc Pinciam & Amniam gentem, quoquo modo illustrandam.

CAPVT

CAPVT VII.

Supremam Anicianæ Domus antiquitatem ad Æneam Anchises F. referendam esse.

ETsi non paucæ Romanæ familiæ fuerunt, quæ vel à gente Sabinorum, vel ex alijs Italiæ oris oriundæ, inter patricias sunt annumeratæ: plurimas tamen earum easque nobilissimas & antiquissimas ad Trojanos genus suum retulisse, complura veterum monumenta testantur. Nam, vt Dionysius refert Halicarnassæus, in deductione illa Coloniæ Albanæ, quæ Vrbem condidit Romam, ex Trojanis quotquot generosissimi habebantur, fuêre: à quibus, vt ipse ait, propagatæ ad suam vsque ætatem aliquot familiæ, circiter quinquaginta, supererant. Marcus etiam Varro integrum librum scripsit de familijs Trojanis: quod quoque M. Valerium Messalam senem fecisse apud Plinium legimus. Titum etiam Pomponium Atticum quorundam illustrium virorum rogatu, quasdam familias gentium Romanarũ à prima stirpe seriatim ad sua tempora singulis libris descripsisse, auctor est Cornelius Nepos: quos fortè imitatus est, qui vixit nostrâ memoriâ Richardus Strainius Austriacus; quem Romanarum gentium & familiarum stemmata literis mandata atque publicata edidisse, apud Eizingerum legi; sed illius libri copiam necdum nancisci potui; dictæq; omnes superiorum auctorum lucubrationes maximâ antiquitatis jacturâ intereriêre. Porrò vnam ex familijs Trojanis fuisse Aniciam testatum fit ex Epitaphio Leonis III. Petri Leonis, in quo majores Perleonum, quos primo libro Anicios fuisse demonstrauimus, à Sergesto Æneæ socio, longo patrum ordine propagati describuntur, hisce versibus:

Plurimę Romanorum familiæ à Trojanis originem habuêre.

Lib. 1 antiquitatum Romanarum.

Plinius lib. 35. cap. 2.

In vita Attici.

Quos Sergestus acer Patrum longo ordine seuit
Illustres animas, perque Ducum genera.
Mite genus hominum, sapiens, insigne, decorum
Nominis antiqui consepelit tumulus.

Quibus autem nixus sit fundamentis auctor huius Epitaphij, prorsus non video. Nam qui de nominibus familiarum Romanis scripsere accuratius, inter quos est Alexander ab Alexandro, aiunt eos, qui à Sergesto descenderunt Sergios, & qui à Iulo Iulios nuncupatos. Vnde Maro: Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen. *D. etiam Hieronymus dixit Toxotium S. Paulæ maritum Æneæ & Iuliorum altissimum sanguinem trahere, quia nimirum filia eius Eustochium Iulia dicebatur, & ipse* Iulius à magno demissum nomen Iulo. *Constat verò in vniuersa Aniciana stirpe & gentilitate, qui Sergio nomine fuerit appellatus fuisse neminem, præter Sergium Anicium Balistam; quem in Oriente milites contra Galienum Imperatorem acclamârunt: cùm tamen in eadem familia Iulianum nomen maximè frequentatum reperiatur.*

5. Æneid. Diuus Hieronymus in Vita S. Paulæ.

Anicios ab Ænea oriundos.

Quare potiùs censeo primam Aniciani generis originem ab ipso Ænea Trojanorum in Italiam Duce repetendam esse. Ac sanè magnum ad id persuadendum auctoritas Vigilij Papæ & Iustiniani Imperatoris momentum afferret, nisi eas Epistolas, quæ horum nomine ad Chronicon Cassinense annexæ sunt, Cæsar Baronius propter quædam incongruè in ijs inserta, non nihil suspectas reddidisset. In ijs enim vbique Iustinianus Imp. qui nobilissimum Anicianæ stirpis germen fuit Æneidam se esse profitetur. Quod etiam confirmat Vigilius Papa sic ad eum scribens:

Tom. 4. Annal. Eccles.

PIISSIMO ET SERENISSIMO VICTORI TRIVMPHATORI FL. IVSTINIANO CONSTANTINO IMPERATORI AVGVSTO ÆNEADÆ VIGILIVS EPISCOPVS SEDIS APOSTOLICÆ SENIORIS ROMÆ.

Verum

Verùm quicquid sit de pondere & auctoritate prædictarum epistolarum: inprimis quidem Habsburgios Perleonum & Aniciorum posteros ab Ænea & Trojana stirpe oriundos esse, tradit Albertus de Bonstetten, his verbis: Ferunt nonnulli annalium Scriptores, item ex Heraldis quàm plurimi (quorũ officiũ & vsus is est nobilium * stigmata, cùm prosapiarũ, tùm Illustrium virorũ coronas juxtà eorundem merita dilucidare) item clarissimorum Comitum Habsburgensium centauos & majorum majores ex Ænea atque Trojana linea illorumque Leonem tam † auroreum è Hectorea sede aliquando exordium sumpsisse. *Idem affirmat Gundelfingensis scribens ad Sigismundum Austriacum, dum de eodem loquens ait:* Qui thoro tamque conthorali regio Elyonora genere Schotica de antiquissimis Bruti Trojani Principis majoribus nata gaudes: de quorum Trojanorum sanguine, & tu (Princeps generossime) tuum genus traxisti: *quod etiam nostra ætate quendam, cuius nomen excidit, in commentariolo ad Rodulphum II. Imp. scripto sensisse scripsisséque, D. Petrus Magnus, Cæsareus Medicus vir politissimi ingenij mihi olim retulit.*

> In historia Domus Austriæ cap 16 MS.
> * fort. stemmata.
> † fort aureum.
> In præfat.

Porrò Perleones ex eadem Æneæ stirpe generatos fuisse, idem Gundelfingensis omninò sibi constans prodidit, dum eorundem Perleonum generis originem, vti superiori libro commemorauimus, ex gente Iulij Cæsaris asseruit; quem certum est ad Æneam generis sui seriem retulisse.

> Austriæ Chronici epitom. 2.

De Anicijs verò, à quibus Perleones, ac postremò Habsburgij Austrij sunt profecti, idem affirmare videtur Ausonius Gallus scribens ad Sext. Anicium Petronium Probum, vbi ipsum veram Romuli prolem appellat; quod etiam de filio eiusdem Probi inferiùs in eodem Epigrammate asseuerat, dum ait:

> Epigr. supr. cit.

Vt hic aui ac Patris decus
Mixtò refulgens sanguine
Probianóque ac Anicio.
Vt quondam in Albæ mœnibus
Supremus Ænea Satus
Siluios Iulis miscuit:
Sic iste qui natus tuus
Flos flosculorum Romuli, &c.

Ita Ausonius; sed validiora ac magis aperta promamus argumenta.

Ac principio quidem certum est Eutropium Constantij Imp.patrem, ac Constantini Magni avum, genus suum ad Æneam retulisse. Et vt aliorum testimonia omittamus, proferamus illud quod nunc ad manum est Pomponij Læti, qui in Romanæ Historiæ compendio Constantij Chlori parentes sic describit: Constantius natus est patre Eutropio Romanæ gentis nobilissimo, qui genus ab Ænea deducebat; & matre Claudia Claudij Augusti filia, vt Gallijs, Hispanijs, Italiæ, & Africæ præesset. *Hunc autem Eutropium germen fuisse stirpis Aniciorum Maximæ, non leuibus nec obscuris argumentis conuinci potest.*

Lib.2.

Eutropij Constantini Magni aui genus.

Nam principiò certum est, & esse debet, Flauium Clementem Maximum, qui contrà Gratianum in Britannia à militibus Imperator est creatus, eiúsque posteros Aniciana stirpe generatos fuisse: vt ex Cassiodoro, Procopio, Fastísque Consularibus libro sequenti ostendemus. Non potuit autem hic Fl. Clemens Maximus paterna gente ab Anicijs descendisse, siquidem patre natus est Leonino; quem genere Britannum atque D. Helenæ avunculum fuisse, Monumetensis, Virunnius & Beluacensis tradunt. Reliquum igitur est, vt ipsum materna duntaxat gente stirpi Aniciæ insertum sentiamus. Porrò maternum eiusdem Maximi genus fuisse Romanum atque Imperatorium & ex sanguine Constantini, ijdem auctores affirmant: quã cum Constantino sanguinis conjunctionem, idem Maximus cùm à militibus in Britannia Imperator fuisset salutatus, ad stabiliendum sibi Imperium militúmque animos conciliandos prætendere solitus fuit. Nec diffitetur id ipsum Card. Cæsar Baronius, eundémque Maximum sibi aliquid de stemmate Cõstantini arrogasse, ex eo quòd Flauium præ se tulerit nomen, conjecturam capit. Cæterùm Flauium nomen post tempora Constantini adeò vsu commune fuit, vt non solùm Imperatores Anicij, cæteríque eiusdem familiæ homines; sed & omnes pœnè Consules & Augusti eo prænomine annotati in Fastis Consularibus reperiantur. Quare cùm Maximus maternâ gente & Romanâ, qua Constantini genus attingebat, fuerit Anicius; consequens quoque est Constantinum stirpe Aniciana ortum fuisse.

Galfrid Monumet. Hist. Reg. Brit lib 5 ca. 9. Ponticus Virunnius lib. 5. Vincent. Biluac in Specul. histor.

Tom. 4. Anno Christi 383.

Porrò

Porrò Constantini genus paternum (de hoc enim vertitur controuersia) cùm certum ac testatum sit illud ex parte auiæ à Flauia gente profectum; quandoquidem Claudia auia Constantini & Constantij Chlori mater Claudij Augusti, seu vt tradit Trebellius Pollio, Crispi fratris eius filia fuit, qui ad Vespasianum & Flauiam gentem generis sui seriem referebant, quæ ante Vespasianum, vt Suetonius est auctor, obscura fuit: relinquitur idem ipsum ex parte aui à gente Anicia Maxima ortum, ac proindè, quod suprà posuimus Eutropium Constantini Magni avum germen fuisse stirpis Maximæ Aniciorum. Quod quidem Pomponius etiam non obscurè indicasse videtur, dum eundem Eutropium Romanæ gentis nobilissimum prædicat: ostensum enim superiùs est, gentem Aniciam etiam ante Claudij Augusti tempora cæteras omnes familias Romanas generis nobilitate ac splendore superasse. Ex quo etiam patet Constantinum non arroganti, vt calumniatur Lætus, sed gentilitio vocabulo se Maximum nuncupasse: postmodùm autem exemplo Alexandri Macedonis & Pompeij, ob rerum à se gestarum magnitudinem Magni cognomentum assumpsisse; quo titulo primùm in senectute extinctis tyrannis ac stabilito Imperio vsum fuisse constat. Quam ob rem, vt totam hanc rationem concludamus, cùm Eutropius fuerit Anicianæ stirpis germen; isque, vt suprà dictum est ad Æneam Anchises F. generis sui originem retulerit: consequitur ab eodem Ænea vniuersam gentem Aniciam tanquam à primo fonte deriuandam esse.

Trebellius in Claudio.

In Vespasiano cap. 22.

Vbi suprà.

At mirum fortaßè cuipiam videri poterit Eutropium Anicium fuisse, cùm nec ipse, nec posteri eius vsquam Anicianum præ se tulerint nomen? sed idem animaduertere est in Sext. Petronio Probo, in Q. Clodio Hermogeniano Olybrio, in Iustinis & Iustiniano Impp. qui nusquam aut in literis aut in inscriptionibus Anicianum præfixisse nomen reperiuntur; quos tamen aliunde certò certiùs constat nobilissima Anicianæ stirpis germina fuisse. Nam vt doctè annotauit Alexander ab Alexandro, solennis veterum mos fuit excellentes viros &

Genial. dierum, lib 3. cap. 4.

principali dignitate insignes solis prænominibus nominare quippè qui ob suam amplitudinem vulgò noti atque conspicui essent: Cæterùm si quos hæc nostra sententia difficiles explicatus habet, eos libro tertio, proprio suo in loco juxtà instituti nostri rationem pro viribus expediemus.

Illud hîc duntaxat addendum videtur; cùm ex alio eóque certissimo capite manifestum euadat, vt mox dicemus, Anicianæ Domûs antiquitatem ad Æneam Anchises F. referendam esse, constétque Eutropium Constantini Magni avum ad eundem generis sui originem retulisse: veritati maximè consentaneum videri Anicios, & Eutropium cæterósque Constantini progenitores sicuti ex vna eadémque radice prodierunt; ita etiam vna eadémque stirpe propagatos esse. Nam circà illa tempora plures fuisse diuersasque familias quæ generis sui claritudinem ac vetustatem ab Ænea repeterent, & Herodiano & cunctis illis auctoribus aduersari videtur, qui Anicianæ stirpis homines, vt suprà vidimus, generis splendore & antiquitate cæteris omnibus familiis Romanis antetulerunt: ipse etiam Cornelius paucas jam imperante Tyberio in Senatu Romano reliquas familiarum fuisse attestatur; quas Romulus majorum & L. Brutus minorum gentium appellauerant; exhaustis etiam, quas Dictator Cæsar lege Cassia, & Princeps Augustus lege Senia sublegère.

Cornelius Tacitus Annal. lib. 11.

Maneat ergò interim stabile ac fixum Eutropium Constantini Chlori patrem Anicianæ stirpis germen fuisse, eúmque sicut & totam stirpem Aniciam ab Ænea tanquam à radice propagatum. Non obscuris argumentis hoc declarauit nepos eiusdem Constantinus Magnus, quippè qui Æneæ, rerúmque Trojanarum studiosissimus fuit. Vnde nouam conditurus Vrbem, eam primùm in Dardania exædificandam statuit, verùm indè omine & augurio quodam ad Bizantinam ciuitatem amplificandam rejectus, in eam Palladium, quod ab Ænea vnâ cum signis magnorum Deorum ex Illio in Italiam transvectum & hactenus Romæ in templo

Vestæ

Vestæ asseruatum fuerat, pluráque alia Trojanæ antiquitatis monumenta deportari curauit.

Atque hæc quidem hoc loco de paterno Constantini genere dicta sufficiant: nunc ex alio eóque certissimo capite ostendamus antiquitatem familiæ Anicianæ omninò ad Æneam Anchises F. referendam esse.

CAPVT VIII.

Anicium Acilium Glabrionem generis sui seriem ad Æneam retulisse.

ACilium Glabrionem, qui iterum Consul fuit, & cui desponsa fuerat S. Eugenia Philippi Præfecti Augustalis filia, tempore Commodi & Pertinacis Impp. omnium Patriciorum nobilissimum Romæ habitum esse, tertio huius libri capite obitèr insinuatum est. Causa verò tantæ hominum existimationis de Glabrionis nobilitate ea fuit, quòd, vt refert Herodianus, generis sui seriem ab Ænea Veneris & Anchises F. deduceret. Quod vt manifestum euadat, paullò altiùs hîc repetenda sunt ea, quæ idem Herodianus de Ælio Pertinace scribit; postquam à populo & milite Augustus est salutatus. Sic enim ait:

Lib. 2.

Sed postquàm in aulam Imperatoriam per noctem (vt diximus) à milite populoque deductus. *nempè Pertinax*, magnis curarum motibus æstuabat. Et quamuis animo esse forti constantique videretur, tamen illum vehementèr præsentia territabant non de salute suâ magnoperè sollicitum, quippe alias grauiora pericula contempserat, sed repentinæ tyrannidis mutationem animo versantem, nobilitatemque nonnullorum Senatorum reputantem, quos minimè passuros arbitrabatur, post Imperatorem generosissimum, recidisse Principatum ad hominem priuatæ stirpis atque obscuræ. Nam etsi vita ipsius planè temperans atque frugalis audie-

bat, maximamque in bellicis negocijs gloriam fuerat adeptus; attamen claritate generis impar habebatur. Igitur postquam diluxit, in Curiam se contulit, neque ignem sibi præferri, neque vlla principatûs insignia passus attolli, donec Senatus sententiam sciscitaretur.

Sed cum omnes simul viderunt, lætis acclamationibus vnanimiter exceperunt, Augustúmque & Imperatorem consalutarunt. At ille recusare institit tanquam rem inuidiosam nomen Imperij, excusare senectutem, veniamque orare, multos esse dictitans patricios viros quibus Imperium conueniret. Simul Glabrionem manu comprehensum protrahens sessitare Imperatoria sella jubebat. Erat enim ille omnium patriciorum nobilissimus, ad Æneam Veneris & Anchises filium seriem generis referens, idemque iterùm Consul, qui tamen ita tum locutus est. Equidem egomet quem tu omnium putas dignissimum cædo tibi Imperio, atque vnâ mecum Senatus omnis summam tibi potestatem decernimus. *Hactenùs Herodianus.*

Hunc autem Glabrionem fuisse germen Anicium sequenti libro ex pluribus antiquitatum monumentis faciemus testatissimum.

Hic verò satis nobis fuerit ostendisse, Glabrionem non aliundè eam summam generis nobilitatem trahere potuisse, quàm ex stirpe Aniciana: Nam Aciliorum Glabrionum familia plebeia fuit atque obscura, primúsque ex ea in Reipublicæ lucem & ad majores dignitates capessendas prodijt M'. Acilius Glabrio. C. F. L. N. anno ab V. C. 562. juxta calculos Glareani, vt refert Liuius dum ait: In exitu jam annus erat & ambitio magis, quàm vnquam aliàs exarserat consularibus comitijs: multi & potentes petebant, Patricij Plebeijque. P. Cornelius Cn. filius Scipio, qui ex Hispania prouincia nuper decesserat magnis rebus gestis: & L. Quintius Flaminius qui classi in Græcia præfuerat, & Cn. Manlius Volso, hi Patricij. Plebeij autem C. Lælius, Cn. Domitius. C. Liuius Salinator. M'. Acilius.

Verùm hoc anno repulsam passus est, primúmque post sequentem annum cum P. Cornelio Scipione Consul creatus est, de quo hæc idem Liuius: Eo quoque anno, magna ambitio fuit, quòd Patricij tres in vnum locum petierunt. P. Cornelius Cn. F. Scipio qui priore anno repulsam tulerat, & L. Cor. Scipio, & Cn. Manlius Volso. P. Scipioni vt dilatum viro tali, non negatum honorem appareret Consulatus datus est, additus ei de plebe collega M'. Acilius Glabrio. *Vidésne igitur vt semper Liuius Glabrionem non patricium sed plebeium hominem fuisse insinuat? Sed audi porrò ab eodem quantam eidem Glabrioni hæc generis eius obscuritas inuidiam conciliârit,*

dum in ambitione Censuræ competitor clarissimorum virorum extitisset: Eodem, *inquit*, anno (nempe 565.) multi & clari viri Censuram petierunt quæ res tanquam in se parùm magni certaminis causam haberet, aliam contentionem multò majorem excitauit. Petebat T. Quintius Flaminius P. Cornelius Cn. F. Scipio. L. Valerius Flaccus. M. Portius Cato, M. Claudius Marcellus, M'. Acilius Glabrio, qui Antiochum ad Thermopylas Ætolosque deuicerat. In hunc maximè, quòd multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligârat, fauor populi se inclinabat. Id cùm ægrè paterentur tot nobiles novum sibi hominem tantùm præferri, P. Sempronius Gracchus & C. Sempronius Rutilius Trib. pl. ei diem dixerunt, quòd pecuniæ regiæ prædæque aliquantùm captæ in Antiochi castris, prædam integram neque in triumpho tulisset neque in ærarium detulisset. *Hæc Liuius.*

Ex his igitur est manifestum Aciliorum Glabrionum familiam antè dictum M'. Acilium Glabrionem omninò priuatam fuisse atq; plebeiam: vndè Glabrio quem Herodianus omnium Patriciorũ nobilissimum vocat, eiusq; majores, nomẽ duntaxat & non genus (nisi fortè maternum) è plebeia Glabrionum stirpe traxisse censendi sunt. Cùm enim gens Anicia ob amplitudinem suam in plures diuersasq; familias diuisa fuerit, vt sequenti libro demonstrabitur: vt in tanta Aniciorum multitudine distinctio seruaretur, pleriq; materni generis nomen vt per id ab alijs secernerentur, assumpserunt. Sic Constantius Chlorus Flauium, sic Gallus Constantij fratris Constantini filius Gallum, sic alij Paulinum, alij Bassum, alij Faustum, alij Manlium & Torquatum, alij Petronium tanquam gentilitium nomen asciuère. Quam ob rem cùm Glabrio, qui dignissimus Imperio ab Eluio Pertinace est judicatus, eam generis nobilitatem, qua vniuersos in amplissimo Vrbis Senatu Patricios antecelluit, minimè sit nactus è plebeia Aciliorum Glabrionum familia; nullúmque aliud alterius patriciæ stirpis, præter Anicianæ vestigium in tanta antiquitatis monumentorum copia reperiatur, ratione cuius Glabriones ad summum nobilitatis fastigium euecti fuisse videri possint: à quo congruum est vt sentiamus hanc amplissimi generis prærogatiuam, non nisi ex Aniciana stirpe in gentem Glabrionum deriuatam esse: præsertim cùm ex non paucis aliorum ac præcipuè SS. Patrum testimonijs, quæ superiùs in medium protulimus, sit testatum, antè mille & am-

pliùs annos nullam aliam familiam Romanam extitisse, quæ generis splendore & antiquitate Domui Anicianæ anteiret. Nam & plures alias familias, quæ non adeò claram originem habuerunt (qualis Petronia fuit, quam humili loco ad equestrem ordinem peruenisse scribit Valerius Maximus) eò quòd in Anicianam stirpem fuerint insertæ & cum ipsa coaluerint, præclarissimas eo nomine nobilissimásque euasisse, sequenti libro vbi de amplitudine familiæ Anicianæ agemus, ostendetur. Perducta igitur clarissimæ stirpis Aniciæ antiquitate ad Trojana tempora, plùs vltrà prouehi non sedet animo, cùm quia ipsi Cæsares Iulius & Augustus non altiùs genus suum, quàm ad Æneam retulêre, vt patet ex libello Messalæ Coruini de progenie Augusti: tùm quia perridiculum est, velle ab Adamo vel Noacho, à quibus vniuersum hominum genus tanquam à fonte & capite descendit, generis sui claritatem deriuare; ipsiq; belli Trojani Scriptores, vt Dictes Cretensis, & Dares Phrygius non altiùs Æneæ genus repetunt, quàm à Dardano Iouis & Electræ filio. Coronidis ergo loco originem Trojanorum, quàm paucissimis verbis Dares Phrygius est complexus, hîc subjungam. Sic enim ait: Origo Trojanorum Dardanus fuit, qui ex Ioue & Electra filia Atlantis natus, ab Italia ex responso locum commutans per Thraciam Samon delatus, quam Samothraciam nominauit; & hinc ad Phrygiam deuenit quam Dardaniam à suo nomine appellauit. Ex hoc natus est Erichtonius, qui in istis locis regnauit. Ex Erichtonio Tros, qui justitia & pietate laudabilis fuit, isque vt memoriam sui nominis æternam faceret, Trojam appellari jussit. Qui duos filios habuit Ilum Assaricumque. Hic Ilus, qui natu major, regnauit, atque Trojam de suo nomine Ilium dixit. Assaricus à primatu recessit. Ili Laomedon fuit filius: ex Laomedonte Priamus natus est. Assaricus Capyn filium genuit, ex quo Anchises editus est, qui Æneam filium procreauit. *Hæc de origine Trojanorum Dares Phrygius.*

Val. Max. lib 4. cap 7.

Messala Coruinus.

FINIS LIBRI SECVNDI

Arboris Anicianæ.

L. D. B. M. V. E. SS. e Aniciis.